This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

832
HUPFELD

232
Hupfeld

Herrn Abt. Z. Lüde
vom Verf.

Hubfeld

Theological School

IN CAMBRIDGE.

The Gift of

COL. BENJAMIN LORING.

SACRA CHRISTI PASCHALI

PIE CELEBRANDA

CIVIBUS INDICIT

ACADEMIAE FRIDERICIAE HALIS CONSOCIATAE

PRORECTOR CUM SENATU.

DIVINITY SCHOOL LIBRARY. HARVARD UNIVERSITY

INEST

HERMANNI HUPFELDI
PHILOS. ET THEOL. D. HUJUSQUE P. P. O.

COMMENTATIO

DE PRIMITIVA ET VERA FESTORUM APUD HEBRAEOS RATIONE EX LEGUM MOSAICARUM VARIETATE ERUENDA.

PARTICULA I. DE EXODI LEGIBUS ET VERA PRAESERTIM RITUS PASCHALIS RATIONE.

HALIS SAXONUM
TYPIS GEBAUERIIS - SCHWETSCHKEANIS.
MDCCCLI.

Praecepta Pentateuchi de festis Hebraeorum consideranti cuique facile occurrit varia cujusque et sui dissimilis ratio. Quae duplex fere: historica altera, altera agraria s. a praecipuis rei rusticae eventibus petita. Unde haec pridem agitur quaestio: utra prior ac primitiva quidem vel ad primitivam proxime accedere putanda sit, et quomodo illa deinceps in hanc formam et societatem devenerit. In qua dijudicanda et illustranda facile intelligitur quantum valeat tum rituum in quoque traditorum attenta consideratio, tum vero universa caeterae antiquitatis analogia s. accurata similium apud caeteros populos festorum collatio. Quam quaestionem cum primum recentiorum nonnulli vel in transcursu tantum attigissent — ut *de Wettius*[1]), qui totam hanc criticam rationem nostratibus praeivit, et *Crednerus* illius vestigiis insistens[2]) —, vel ex parte tantum tractâssent — ut *Baurius* Tubingensis[3]) et *Hitzigius*[4]) —, universam comprehenderunt tum *J. F. L. Georgius*, singulari ille quidem libro[5]), et satis prolixâ disputatione: qui tamen, quamvis non pauca vera vidit, cum Deuteronomium immani errore tanquam antiquissimum Pentateuchi librum sibi sterneret quaestionis fundamentum, summa imis miscens, eam pervertit potius et irretivit quam expedivit; tum vero *Ewaldus*, commentatione societati Gottingensi exhibita[6]), ut brevi et succincta ita eleganti et bonae frugis

1) Versuch über die Glaubwürdigkeit der Chronik (Halle 1806) p. 291 ss. cf. Kritik der Israel. Geschichte s. Beiträge zur Einleitung ins A. T. 2. Bändchen (1807) p. 195 ss. — Postea hunc locum ex allatis recentiorum rationibus retractatum succincte exhibuit in compendio archaeol. Hebr. Jud. §. 213—221.

2) Der Prophet Joel (Halle 1831), in notis ad cap. 1, 14 p. 150 sq. et 2, 25 p. 207 ss., praes. 213 ss.

3) In diss. „über die ursprüngl. Bedeutung des Passahfestes und des Beschneidungsritus", insertâ annalibus theologorum Tubingensium (Tübinger Zeitschrift) ad annum 1832 fasc. 1. p. 40—124; cui accessit alia „der hebr. Sabbath u. die Nationalfeste des mosaischen Cultus" ibid. fasc. 3. p. 123—191.

4) Duabus epistolis inscriptis „Ostern u. Pfingsten" Heidelb. 1837 et 1838.

5) Die älteren Jüdischen Feste mit einer Kritik der Gesetzgebung des Pentateuch. Berl. 1835. 8. 308 pp.

6) De feriarum Hebraearum origine ac ratione. Commentatio in consessu societatis regiae Gottingensis die 5. Dec. 1835 recitata, sed a. 1840 demum in annalibus ad promovendam orientis notitiam institutis (Zeitschrift für d. Kunde des Morgenlands) Tom. III, p. 410—441 in lucem edita.

plena, quae, qua pollet auctor amplae antiquitatis universae notitia et ingenii ubertate, ita rem suam gessit ut eam profligâsse paene videri possit, neque caeteris aliquam disputandi reliquisse materiam. Nam qui praeter illos novissimo tempore hunc locum copiose et subtiliter tractavit *Bährius* Carlsruhensis [7]), is a critica nostra fontium et temporum distinguendorum ratione alienissimus, captandis symbolis et allegoriis unice intentus, diversissima quaeque ita miscet et confundit luminibus suis undique petitis, ut ad eam quae nobis proposita est quaestionem solvendam vix aliquid videatur contulisse.

Verum cum qui hucusque in hac quaestione versati sunt ita fere rem aggressi sint, ut ab universa festorum ratione et caeterae antiquitatis analogia exorsi ad Hebraicorum venirent rationem definiendam: fieri sane non potuit quin his comparandis magis et ad illorum normam exigendis intenti quam fontium textui accuratius expendendo, non raro ea sumerent et rationibus suis supponerent quae aut dubia et incerta aut a textu plane aliena et falsa deprehenduntur. Equidem contrariam secutus viam, fontibus ipsis diligentius inspectis et examinatis, hoc fundamentum passim ad sustinendas illas rationes multo infirmius quam aut exspectarem aut optarem, et fere labans deprehendi. Quam quidem viam nunc potissimum ineundam esse res ipsa suadet. Nam cum haec de festis controversia omnis fere ex legum ipsarum in Pentateucho dispersarum varietate et inconstantiā orta intelligatur; haec autem tum ab auctorum et temporum diversitate, tum vero etiam a textûs ratione videatur repetenda: jam nihil antiquius habendum esse patet quam ut admotā primum et critici et interpretis operā tum leges istae aetate sua distinguantur, tum vero textûs integritas, nexus, verusque sensus investigetur, antequam de ratione aliquid certi statuatur. Idem *Georgius* sensisse videtur, eandem viam ingressus laudabili consilio, dummodo saniorem crisin adhibuisset.

Quae cum ita sint, disputationem ita instituere propositum est, ut primum leges singulas Pentateuchi temporis ordine distinctas, suo quamque loco integras exhibentes, argumentum s. sensum verborum si quid obscuri vel controversi habeat indagare, textum si quid labis vel perturbationis passus sit integritati suae et ordini restituere; deinde cujusque instituti veram et primitivam vim et rationem, mutuamque quae ipsis intercedit necessitudinem, et quomodo sensim immutata in hanc formam et societatem coaluerint, investigare nitamur. Ne tamen longius discurrat quaestio, intra trium festorum quae proprie dicuntur, anniversariorum, fines eam contineamus; de sabbatho caeterisque institutis sabbathalibus alio tempore disceptaturi.

Jam cum antiquissimae de festis leges in Exodi libro habeantur, tum singulis tum etiam in orbem vel systema conjunctis, hac quidem disputandi occasione isto nos libro continebimus, proximā ad caeteros Pentateuchi libros progressuri.

---

7) Symbolik des Mos. Cultus. Tom. II. p. 525 seqq.

A. Leges de festis in Exodo obviae.

I. *Exod.* 23, 14—17.

Simplicissima quidem ac sine dubio antiquissima festorum ratio exstat in antiquo illo legum civilium et sacrarum codicillo qui Decalogum excipit (paucis quae diversi sunt generis interjectis) Exodi capp. 21—23, 19; ubi sub finem, cap. 23 vv. 14—17, locus de festis paucis hisce absolvitur verbis:

„(*v.* 14) *Tribus vicibus* (רְגָלִים) *festum mihi celebrabis* (תָּחֹג לִי) *per annum. Festum azymorum* (חַג הַמַּצּוֹת) *servabis: septem diebus edes azyma, quemadmodum praecepi tibi, tempore stato* (לְמוֹעֵד) *mensis* ʾ*Abhîbh: quia hôc egressus es ex Aegypto* [*neque appareant vacui coram facie mea*][8]. 16. *Et festum messis* (חג הַקָּצִיר), *primitiarum*[9] (*quidem*) *operis tui* (בִּכּוּרֵי מַעֲשֶׂיךָ) *quod severis in agro*[10]; *et festum collectionis* (חַג הָאָסִיף) *exeunte anno, cum collegeris opus tuum ex agro.* 17. *Tribus vicibus* (פְּעָמִים) *in anno apparebit omnis masculus tuus coram facie Domini Jhvh*“[11].

Hactenus lex de festis; quippe repetito praecepto communi a quo exordium fecerat, tanquam clausulā finita, ac velut in orbem circumducta. Adduntur autem quaedam ritualia, quae et ipsa quodammodo huc faciunt, per se quidem latius patentia:

18. „*Ne immoles cum* (עַל) *fermentato sanguinem hostiae meae; neque pernoctet adeps festi mei* (*i. e. sacrificii in festo oblati, ut Ps.* 118, 27 *et*

---

8) Hoc quidem membrum alieno loco positum esse infra docebitur.

9) Haec vox praecedenti accuratius definiendae adjicitur, scil. id festum ad primitias messis pertinere innuens.

10) Non plurali numero „laborum tuorum“ accipiendum מעשיך, ut multi, sed singulari, ut recte pridem Vulg.; neque h. l. tantum, sed in sequente etiam de collectionis festo, ubi plerique pluralem intelligunt. Neque אשר ad primitias referendum, ut intt. fere omnes (quasi his tantum agrum conseverint!), sed ad מעשיך, quod fruges ipsas significat quarum primitiae hoc festo offerendae sunt. Nam מעשה, in utroque loco de terrae fructibus dictum, nihil aliud est quam opus i. e. operae humanae effectus s. fructus, ab artefactis ad ea quae e terra producuntur translatum; quemadmodum Hab. 3, 17 oliva „opus oleae“ dicitur, eādem ratione quā verbum ipsum עשׂה = efficere, producere non de arte tantum factis dicitur sed de iis etiam quae natura ex se ipsa producit sponte genitis, velut terra s. arbor facit fructûs, frumentum farinam vel panem, animantia lac vel adipem etc. Nec absimilis usus vocis פְּרִי contra a naturae proventibus ad ea quae operā et arte efficiuntur translatae, velut illud פְּרִי מעשיך Ps. 104, 13 (non pluvia, ut vulgo, sed conclave Dei = parallelum עֲלִיּוֹתָיו, scil. v. 3. Dei operā contignatum).

11) Hanc vocem quoniam alienis punctis constat esse instructam, meris consonantibus exhibendam censeo; quamvis dubium vix esse possit quin pronuncianda sit *Jahveh* s. *Jahvoh*.

al.) *usque ad mane*[12]). 19. *Primitias frugum*[13]) *agri tui deferes in domum Jhvȟi domini tui; ne coquas hoedum in lacte matris.*“

Vides hic unam tantum, non duplicem et ambiguam cujusque festi esse rationem. Primum enim quoniam totum in exitûs ex Aegypto versatur commemoratione, *μνημοσυνον* esse, eoque ad historicum genus referendum intelligitur: caetera, a fructuum messibus denominata, ad agrarium. Communia autem omnibus haec tria jam apparent quae ad festi notionem in universa antiquitate requiruntur. Primum ut anniversaria sint et stata: siquidem ter quotannis et certo quodque tempore celebranda praecipiuntur; unde festorum nomen fluxit מוֹעֵד (quod tum tempus naturâ vel lege constitutum et definitum, tum conventum ipsum tempore suo et loco definitum significat). Tempus quidem h. l. nondum die — i. e. dierum cujusque mensis numero, ut postea — definitur: sed primum mense tantum ʾAbhîbh, cujus tamen etiam dies eo ipso die cujus memoriam celebrabat, exitûs ex Aegypto, definitus erat; caetera autem annuarum tempestatum ordine, quem pro coeli illius ratione ipsis nominibus suis, a festi occasione desumtis (ut festum „messis“, „primitiarum“, „collectionis“) prae se ferunt; tertium vero etiam adjecto „in exitu anni“ apertius declarat. Deinde ut „*omnis masculus coram facie Dei appareat*“, h. e. ut publice celebrentur, universo populo ad sacrarium congregato, concione quae Graecis *παννηγυρις* vel *συνοδος* audit,

---

12) Duo praecepta, non unum. Primum sine dubio referendum ad ferta (מְנָחָה) hostiis addita non fermentanda (sed salienda) ex lege Lev. 2, 11. Alterum ad carnem sacrificii eodem die comedendam, nec quicquam ejus ad mane relinquendum, pertinere videtur, ex lege pluribus sacrificiis communi: eucharistico Lev. 7, 15. 22, 30, inaugurationis sacerdotum (מִלֻּאִים) Ex. 29, 34. Lev. 8, 32, denique paschali Ex. 12, 8. Pro carne h. l. satis mire adeps positus, qui tamen non comeditur sed Deo comburitur.

13) Hebr. רֵאשִׁית בִּכּוּרֵי plerique interpretantur primas primitiarum vel primitias frugum praecocium, scil. h. l. hordeaceas in festo Paschali oblatas ex lege Lev. 23, 9 sq. auctore Abenezrâ intelligendas esse rati, quippe triticeis in festo Pentecostes offerendis multo priores. Sed praeceptum cum ad omnis generis primitias pertineat, saepius inculcatum, temere ad hordeaceas illas restringitur (huic loco minime obtrudendas). Deinde usus repugnat: nam רֵאשִׁית nihil aliud usû est quam בִּכּוּרִים: utrumque enim, et promiscue fere, de primitiis Deo sacris solenne, cf. Num. 18, 12 cum v. 13. Neh. 10, 36 cum v. 38; nisi quod illud vi sua latius aliquantum pateat, de omnis generis primitiis dictum (ut Deut. 18, 4. 26, 2. 10), hoc de fructuum tantum, et frugum praesertim primitiis annuis, cf. Lev. 2, 12 cum v. 14. Lev. 23, 17. Num. 28, 26. 2. Reg. 4, 42. Itaque h. l. alterum alteri abundanter additum putandum, ut recte *Gesenius* v. בכורים (qui tamen mentem mutavit in thes. v. ראשית); ita tamen ut cum prius illud genus adumbrâsset, hoc speciem adjiceret (quemadmodum v. 16 voci קציר subjunctum). Idem deprehenditur apud Hezekielem 44, 30, vel ex h. l. desumtum, vel ex Num. 18, 12. 13 (ex quo capite totus ille locus de Levitarum emolumentis v. 28—31 manavit). Quamquam hoc etiam ferri possit ut fruges ipsae, tamquam anni cujusque primitiae i. e. primi proventûs h. l. בִּכּוּרִים dictae sint, quemadmodum ejusdem generis fructûs primi s. praecoces בכורים dicuntur, ut uvae Num. 13, 20, ficûs Nah. 3, 12, quibus proprius sing. בְּכוֹרָה (sc. תְּאֵנָה, nam vox pr. est adjectiva).

festis propria et solennis, Hebraeis tum מוֹעֵד, tum vero מִקְרָא קֹדֶשׁ et עֲצָרָה (quae tamen vocabula sanctioris concionis et feriae, initio et fini festorum propriae, usû sibi vindicarunt sensum). Denique „*ne vacui coram Deo appareant*“, h. e. sine d o n i s et o b l a t i o n i b u s s. sacrificiis, tum universo cultui communibus, tum vero festo cuique propriis; formulā a regum more desumtā, quos apud orientales non sine muneribus adire fas est. Hoc enim praeceptum v. 15 primo azymorum festo adjunctum, patet non huic proprium sed ad universa pertinere; quare alieno loco positum esse intelligitur, versui 17. adjungendum, praecepto „ut omnis masculus ter quotannis coram Domino Jhvhō appareat“ supplendo inserviens[14]).

Jam singula considerantes, quoniam historicum illud azymorum impeditiqs est altiorisque indaginis, posteriora duo a g r a r i a primum expendere placet. Quae cum ad m e s s e m ambo spectent, quaeritur quomodo differant. Ajunt o b j e c t o: alterum enim ad f r u g e s pertinere, a d e m e t e n d o חַקָּצִיר dictum, alterum ad p o m a, a c o l l i g e n d o dictum הָאָסִיף; quod vocabulum (perinde ac אָסָף) usu ad pomorum potissimum messem restrictum perhibent. Verum hic usus minime constat, quippe ex hoc ipso loco sumtus (nam caeteri ubi exstat אָסָף ambigui sunt). Deinde obstat quod utrique idem objectum, certe idem vocabulum communicatur, מַעֲשֶׂיךָ *opus tuum*. Quod ut latius pateat, et utrumque comprehendat, et fruges et poma: tamen auctor non o b j e c t o vim et rationem cujusque festi distinxisse intelligitur. Denique duplex ejusdem modi festum messorium, quemadmodum solent festa messoria, in publicae laetitiae signa effusum, ab illius actatis simplicitate quodammodo abludere videtur. Quominus autem prius illud חג הקציר dictum in gratulatione et festivitate s. laetitiae publica testificatione (quod in V. T. שׂמח לפני יהוה dici solet) versari statuamus, qua alterum constat insigne fuisse: hoc obstat quod u n o tantum d i e id festum contineri aliunde (Lev. 23, 16. Num. 28, 26) compertum habemus. Hinc ratio hujus festi propria, qua discernitur ab altero, in voce (מַעֲשֶׂיךָ) בְּכוּרֵי, illustrandi et definiendi nominis חַקָּצִיר causa adjectā, maxime posita sit necesse est; quod aliunde confirmatur tum ipso festi nomine יוֹם בִּכּוּרִים Num. 28, 26 tradito, tum vero

---

14) Quod nescio an vel grammatica poscat aut suadeat loci ratio. Nam יֵרָאֶה פָנַי v. 17 cum ex analogia V. T. non liceat interpretari „*conspiciatur facies mea*“ (ut quod nemini mortalium fas sit), sed „*appareant coram facie mea*“, ut Jes. 1, 12. Ps. 42, 3 (accusativo posito pro לִפְנֵי v. אֶל פָּנַי, ut v. 17, vel אֵת פָּנַי ut loco ex hoc ipso desumto Deut. 16, 16. 31, 11 etc.) — quae formula trita et fere solennis de sacrarii aditu et frequentia, praesertim festorum —: 3. p e r s. p l u r. יֵרָאוּ prorsus abhorret ab illius loci ratione, ubi tam in praecedentibus quam in sequentibus — quemadmodum in universo isto legum codice — populus constanter 2. p e r s. s i n g. appellatur. Quod vero ibi desideratur subjectum cui applicari possit יראה, id ecce habetur v. 17, ubi est יֵרָאֶה כָל־זְכוּרְךָ „*appareat omnis masculus tuus coram facie domini*“; cui apte jam subjungitur nostrum „*neque appareant v a c u i coram facie mea*“, ubi יֵרָאוּ respondet illi יֵרָאֶה, quo resumto ejus apparitionis m o d u s et c o n d i t i o additur. Quo pacto simul formulae ex v. 14 repetitae ratio apparet.

ritù lege Lev. 23, 16 seqq. (simodo illam huc trahere licet, de quo suo loco disputabitur) adumbrato, qui oblatis potissimum duobus panibus ex recente farina coctis continetur, בְּכוּרִים לַיהוָה et מִנְחָה חֲדָשָׁה dictis. Hoc igitur festum cum ad primitias frugum cujusque anni, ut primorum anni proventuum, ex lege v. 19 Deo offerendas intelligatur pertinere: alterum, in „fine anni“ constitutum, „cum proventus terrae ex campo collectus (in horrea receptus) fuerit“, ad universum anni proventum ejusque messem in horrea invectam celebrandam pertinere, atque hinc nomen חַג הָאָסִיף (= Graec. *συγκομιδη καρπων*) sortitum esse sequitur. Nam cum אסף proprie sit recipere in domum quod extra est, quod h. l. obtinere vel apposito „*ex campo*“ significatur: patet quam aptum id nomen sit fructibus s. terrae proventibus ex campo in horrea invectis s. conditis, et festo auctumnali quo id feliciter peractum, ex omnium fere populorum more, grata mente et laeta festivitate celebratur, tanquam clausula et coronis universo anno ejusque laboribus et beneficiis imposita. Quae cum ita sint, discrimen inter festum utrumque hoc intercessisse videtur, ut prius illud, h. l. a frugum messe, aptius vero ab harum primitiis Deo oblatis dictum, quoniam totum in unius dici oblatione versabatur, primitiis anni (scil. panibus recentibus) Deo pie offerendis et consecrandis rite inaugurandam et sacrandam spectaret proventuum annuorum messem ~~et Mincham (forte) inde offerendam~~: alterum a condendo in horrea et thesauros dictum, feliciter peractam gratulatione et festivitate, pro ejus metae ratione, apte celebraret. Hoc igitur solum festum messorium est ejus generis quod apud caeteros populos deprehendimus. — Quod autem id in „anni fine“ (בצאת השנה) constituitur, hoc et ipsum antiquiorem hujus monumenti aetatem redolere videtur, ~~antemosaicum anni ordinem referens~~. Nam cum Ex. 12, 2 Dei jussu unà cum Paschi institutione mensis Abhîbh primus omnium et caput anni constituendus dicatur — quem ordinem per totum V. T. ~~tempus~~ observatum videmus —: hoc loco antiquioris ordinis vestigium videtur servatum, quo annus naturae convenientius ab hieme et satione (quemadmodum dies a nocte) initium duceret, et auctumno post illatas horreis messes ~~festoque celebratas~~ terminaretur [15]).

Quod autem primo loco affertur azymorum festum quoniam ritu et ratione sua ex hac ipsa lege mimimo liquet, aliunde repetendum cernitur, quod ipsa etiam jubent

---

15) Cujus ordinis alia etiam in V. T. vestigia deprehenduntur, velut in historia diluvii Gen. 7, 11 seqq., quod cum a secundo anni mense usque ad sequentis secundum per integrum annum ita computetur ut per primam ejus partem crescceret, per alteram sensim decresceret, duplici anni tempestati, pluviali et siccae (*κατακλυσμος* et *ἐκπυρωσις*), accommodatum cum *Crednero* ad Joel. 2, 25 et *Bohlenio* ad Gen. c. 6—9 p. 103 seqq. statuendum videtur, quicquid contra moneat *Tuchius* ad h. l. cum *Benfeyo* (Monatsnamen excurs. p. 222 seqq.), qui nostram formulam conjecturâ parum probabili tentat et torquet. Aliud anni sabbathici instituto contineri suo loco docebitur.

verba adjecta „quemodmodum tibi praecepi“, quibus patet remitti ad legem quā primum hoc festum institutum erat.

Quam tamen antequam adeamus, aliud se offert nostrae legis exemplum, quod in eodem libro Cap. 34, 18 seqq. iisdem fere verbis recurrit.

Exod. 34, 18—26.

„*v.* 18. *Festum azymorum observabis, septem dies comedes azyma, quae* (אֲשֶׁר, *s. pro* כאשר *sicut*) *praecepi tibi tempore stato mensis* ʾ*Abhîbh; quia mense* ʾ*Abhîbh egressus es ex Aegypto . . . v.* 20 . . . *neque appareant coram facie mea vacui . . . v.* 22. *Et festum hebdomadum tibi facies* (תַּעֲשֶׂה *i. e. ages*), *primitiarum messis triticeae; et festum collectionis, volvente anno* (תְּקוּפַת הַשָּׁנָה). 23. *Tribus vicibus quovis anno apparebit omnis masculus tuus coram Domino Jhvh* [*Deo Jsraelis.* 24. *Nam expellam gentes a facie tua, et dilatabo fines tuos, neque concupiscet quisquam terram tuam, te ascendente ut appareas coram Jhvh deo tuo tribus vicibus per annum*]. 25. *Ne mactes* (תִּשְׁחַט) *cum fermentato sanguinem hostiae meae; neque pernoctet ad mane hostia festi Paschi.* 26. *Primitias frugum agri tui inferes in domum Jhvhi dei tui; ne coquas hoedum in matris lacte*“.

Hanc legem nihil aliud esse nisi alterum ejusdem legis quae supra exstat c. 23, 14 seqq. exemplum, ex eodem fonte desumtum et hac occasione repetitum: cum ex universa patet illius capitis indole ubi deprehenditur, de renovato Dei cum populo post defectum foedere unà cum tabularum restitutione et legum praecipuarum repetitione[16]); tum vero ex ipsius nostri de festis loci ratione intelligitur: siquidem ea simul repetit quae ibi (23, 18 seqq.) praeceptis de festis fortuito subjuncta deprehenduntur ab illo argumento aliena, atque eodem ordine, pariterque eodem illo „ne coquas hoedum in lacte matris“ mire terminata. Neque tamen solum repetiit textum suum, sed passim etiam vel variavit vel contraxit vel interpolavit; et ea quidem quae non tam augendo quam explanando inserviunt, et antiquioris legis pro judicii sui vel temporis rationibus interpretem produnt. Nam pro „*festo messis*“ ponit *hebdomadum festum* ex Lev. 23, 15, et „*primitias operis tui*“, quod latius patet, definit *messis triticeae* (quod et ipsum convenit cum Lev. 23, 17, ubi panes Minchae recentis ex סֹלֶת i. e. farina purissima cocti non possunt non esse triticei); caetera omisit tanquam inutilia, verbo tamen addito תַּעֲשֶׂה לְךָ nexum cum priori festo, insertis alienis praeceptis vv. 19—21 misere laceratum, restituit. In

16) Ex. 31, 18—34, 35. Hoc enim caput medio de sanctuarii exstructione capiti ita interpolatum ut praecepta de illo divina divellantur ab horum effectu, pridem inter criticos constat posteriori rerum Mosaicarum scriptori tribuendum esse; illis annectendum quae cap. 24 de rebus a Mose in monte sacro et apud Deum gestis narrantur, augendae quidem et exornandae legis divinae et Mosis auctoritati inserviens.

postremo autem festo pro בְּצֵאת הַשָּׁנָה, quod forte offendebat a Mosaico anni ordine discrepans, posuit תְּקוּפַת ה׳, i. e. volvente anno, vocabulum anni ejusque festorum conversioni et orbi proprium sed ambiguum (cf. Jes. 29, 1. Iob. 1, 5); male iterum omissis quae ad explanandum vocis אָסִיף sensum in textu sequuntur adjecta „cum receperis (intuleris) opus tuum ex campo", minime superflua. Post clausulam loci de festis v. 23 non solum voci האדן יהוה inutilem addidit glossam אלהי ישראל, sed integrum etiam versum 24. interpolavit additā Dei promissione „se expulsis populis et dilatatis terrae finibus facturum ne quis terram concupiscat (i. e. incursionem faciat) dum ipsi ter quotannis coram Deo appareant" (i. e. ad festa celebranda ad sacrarium confluant). Quā quidem difficultatem obviam removet (quemadmodum fere Lev. 25, 20 seqq.), non legislatorum sed posteriorum interpretum et apologetarum more. — In appendice prima v. 25 pro „*adipe festi mei*" (i. e. sacrificii festivi) posuit „*hostiam festi Paschi*": praeceptum illud, quod ad plura sacrificiorum genera pertinere vidimus, de paschali interpretatus ex cap. 12, 10; חלב *adipe*, ~~qui sane alienus ab hoc ritu~~, cum זֶבַח *hostiā* mutato (parum tamen apte pro hostiae carne). In quo tamen quod ei excidit חַג הַפֶּסַח, insolitum plane et inauditum. Nam פֶּסַח aliàs semper dicitur sacrificium (זֶבַח), vel victima ipsa, scil. agnus Paschalis, — quò pertinent etiam verba adjecta שׁחט, ובח, עשׂה (i. e. parare), אכל —, nonnunquam etiam ejus sacrificii dies: sed nunquam festum (חג), quod ipsā etiam re excluditur. Nam חַג, ut Lat. festum, tam etymo suo quam usu laetum semper ritum indicat, a tripudiis et choreis (מְחוֹלוֹת cf. Jud. 21, 19 seqq.) dictum, quibus unà cum epulis vel conviviis celebrabantur, cf. Ex. 32, 6. 17—19. 1 Sam. 30, 16 (ubi חוגגים juxta אֹכְלִים וְשׁוֹתִים ob praedam reportatam). Quomodo igitur fieri possit ut haec vox adhibeatur Paschi ritui nocturno et gravi ac fere tristi? — Accedit quod hunc de festis locum legibus plane alienis de primogenitis et sabbatho (ex cap. 13, 12 sq. et 23, 12 desumtis) post primum azymorum festum v. 19—21 insertis — in quibus mediis illud „neque appareant coram facie mea vacui" v. 20 velut insula natat — misere laceratum et turbatum deprehendimus. — Ex quibus facile intelligitur, tum qua licentia usi sint isti scriptores in transscribenda et interpretanda lege antiquiore, tum quantum his tribuendum sit ad definiendum illius sensum.

Nihil igitur lucis ex isto lucrati, jam ad caeteras quae de festis habentur leges transeuntibus, primum omnium disquirendum an exstet quae illi azymorum festo ejusque rationi et cum Pascho necessitudini satis obscurae lucem aliquam affundat, ad quam legem ipsam diximus verbis adjectis „*ut praecepi tibi*" digitum videri intendere.

II. *Exod. capp.* 12 *et* 13.

Quaerentibus autem ejusmodi legem plures occurrunt non multo ante hunc locum capp. 12 et 13, ubi de rebus circa egressum ex Aegypto gestis agitur. Ac primum quidem considerandam se offert lex cap. 13, v. 3—10 obvia, quā festum azymorum

instituitur in memoriam exitûs istius celebrandum, iisdem fere formulis sed paulo plenius concepta, et pluribus a Mose populo inculcata.

1. *Exod.* 13, 3—10:

„3. *Et dixit Moses ad populum: mementote diei hujus quo exiistis ex Aegypto e domo servorum, quoniam manu forti Jhvh eduxit vos istinc* [*neque edatur fermentatum*[17])]. 4. *Hodie vos exitis in mense 'Abhibh.* 5. [*Et fiat cum te duxerit Jhvh in terram Canaanaei, Chittaei, 'Amoraei, Chivvaei et Jebusaei, quam juravit patribus tuis se daturum tibi, terram affluentem lacte et melle: tum perages hunc ritum in hoc mense*]. 6. *Septem diebus comedes azyma; et* septimo die festum Jhvo. 7. *Azyma comedentur septem diebus,* neque edatur[18]) apud te fermentatum, neque conspiciatur apud te fermentum in cunctis finibus tuis. 8. *Trades autem filio tuo die illo dicens: propterea quod hoc mihi fecit Jhvh cum exirem ex Aegypto.* 9. *Et sit tibi instar signi* (לְאוֹת) *in manu tua, et monumenti inter oculos tuos, quo lex Jhvi sit in ore tuo, quoniam manu forti te eduxit Jhvh ex Aegypto;* 10. *et observes hoc statutum tempore suo stato, ab anno ad annum* (מִיָּמִים יָמִימָה)".

In hâc lege sane singulae illius sententiae apparent tanquam summae ex massa eminentes: tum primarium illud שִׁבְעַת יָמִים תֹּאכַל מַצּוֹת, tum vero בְּחֹדֶשׁ הָאָבִיב et אֲשֶׁר יְצָאתֶם מִמִּצְרַיִם; nisi quod h. l. exitus ad diem pertineat, non mensem tantum. Quae praeterea h. l. habentur illic praetermissa, per se facile intelliguntur. Primum interdictum contrarii, scil. fermentati, neque esûs ipsius tantum, sed ut ne conspiciatur quidem in universa eorum ditione ullum fermentum; quod sane argutius et fere festivum, ad acuendam vim additum vetito. Deinde, quod gravius, v. 6 praecepto subjungitur: septimo die festum esse Jhvo; quod tamen et ipsum ex septendiali esu sponte fluit, cum septimus quisque dies ipso jure Hebraeis sit sanctus et feriatus (Sabbathum), quale festum istud fuisse intelligitur, scil. concione sacra et operum cessatione celebrandum (ut alibi habetur expressum). — Caetera ad augendam potius et inculcandam animis instituti auctoritatem pertinent. Velut formula qua infit „*mementote hujus diei*" (זָכוֹר אֶת הַיּוֹם, eadem plane qua in Decalogo 20, 8 Sabbathum sanciendum jubetur, ut *μνημοσυνον* ejus diei quo Deus post

17) Hoc male anticipatum, turbato ordine et nexu, cum infra v. 7 locum suum occupet, uncis inclusi. Simile deprehenditur 12, 15. Idem dicendum de v. 5.

18) Quod ibi habetur יֵרָאֶה statim repetitum cum jejunam pariat tautologiam, pro eo legendum censeo יֵאָכֵל. Duo enim vetantur: ne edatur fermentatum, et ne inveniatur et conspiciatur omnino fermentum ullum; quorum illud primarium, hoc ejus firmandi vel acuendi causâ adjectum, cf. 12, 19. 20 ubi utrumque habetur distinctum.

creatum mundum quieverit v. 11); item epitheton Aegypto adjectum מִצְרַיִם in Decalogo et ipsum obvium 20, 1 (dehinc solenne fere factum); et quod ejusdem generis est egressioni adjectum, quod *Jhvh* eos „*manu forti* (בְּחֹזֶק יָד et v. 9 בְּיַד חֲזָקָה) *eduxerit*", in rerum ante illum exitum gestarum narratione frequentatum et in tesseram fere versum. Porro quod ritus identidem inculcatur observandus, tanquam ministerium sacrum Deo praestandum, ac tradendā simul filiis rerum a Jhvo in Aegypto gestarum memoriā ut aeterno sit monumento.

Paschi quidem nec ibi ulla mentio. Sed ecce aliud eodem Mosis sermone subjungitur ejusmodi institutum, eidem memoriae sacrum. Sequitur enim vv. 11—16 mandatum de consecrandis Jhvo primogenitis, in memoriam caedis primogenitorum Aegyptiis a Jhvo inflictae; eādem ratione iisdemque fere formulis propositum. Quae caedes cum ad ejusdem diei noctem pertineat quo exierunt Jsraelitae ex Aegypto, cujus celebrandi causā institutum vidimus azymorum festum: jam omnia optime in eundem finem videntur collineare. Duplex enim se praebet ejusdem diei et facti pro duplici ejus parte *μνημοσυνον*: diei quidem quo exierunt in memoriam azymorum ritus, noctis autem praecedentis qua caedes illa primogenitorum Aegyptiis immissa sed Jsraelitis parcens his exeundi copiam fecerat, primogenitorum Deo sacrandorum religio. Atqui ista nox illa ipsa est quam constat celebrari Pascho; cujus tamen ratio multo minus perspicua et apta esse deprehenditur. Jam cum illud de azymis mandatum legi quam supra antiquissimam omnium cognovimus 23, 14 seqq. subesse videatur, utrumque autem simplicitate et perspicuitate sua eandem referre antiquitatem: nihil sane proclivius est statuere quam hac primogenitorum sanctitatę primitivum et authenticum contineri illius noctis *μνημοσυνον*, alteri azymorum ritui par et socium.

Sed sunt tamen in hujus loci ratione quae scrupulum moveant, accuratius expendenda. Primum ordinis et nexûs sententiarum maxima offendit perturbatio. Azymorum enim institutum medio insertum est primogenitorum sacrandorum, quod initio facto statim abruptum, inserto demum altero vv. 11—16 ad finem perducitur. Verum ista parum congruunt cum initio illo, neque in unam seriem possunt conjungi. Nam cum illo exhibeantur verba Dei summatim rem praecipientis, vv. 11 seqq. nec continuatur Dei sermo, nec Moses inducitur illius praeceptum populo tradens: sed continuatur ibi Mosis sermo a v. 3 inde inductus (formulā suetā ויאמר משה), jam ad primogenitorum institutum transeuntis, eādem formulā qua supra v. 5 usus erat de azymis והיה כי יביאך etc., qua sane novum sermonem patet non posse ordiri. Quare cum vv. 1. 2. non cohaerere intelligantur cum vv. 11 seqq., argumentum autem idem, quamquam summatim et succincte traditum, tamen ita absolvere ut nihil ad sensum desideretur, propriumque sibi vindicare locum: haec lex, solitā illa quidem legibus Elohistae antiquissimis formulā (ויבבר יהוה אל משה לאמר) instructa, pro antiquissima omnium de ea re sine dubio habenda est; illustrata et definita quidem statutis

quae habentur vv. 12. 13[19]), vv. 14seqq. autem ex primogenitorum in Aegypto clade repetita ejusque memoriae celebrandae dicata; propter quam etiam Num. 3, 11—13 Deus traditur sibi vindicâsse (sacrâsse) primogenitos Israelitarum, tum hominum tum jumentorum, in horum autem locum substituisse Levitas eorumque jumenta (cf. v. 41). Et hac quidem ratione factum esse videtur ut lex illa quae vv. 1. 2. conspicitur, in hunc locum plane alienum sit delata[20]). — Neque minor ordinis perturbatio in ipso de azymis mandato cernitur: siquidem tum fermentati interdictum, in fine v. 3 inter mediam diei definitionem insertum, tum observandi hujus ritûs ubi in terram Canaanaeam venerint admonitio v. 5, ipsum festi ritum v. 6 antecedit. — Deinde offendunt quae in utroque ritu pari verborum copia adjiciuntur ad inculcandam tam in terra Canaanaea ritûs observationem, quam filiorum de ea re institutionem, et extollendum ejus usum mnemonicum (scil. ad commonefaciendos de lege divina animos); more et formulis Deuteronomio praesertim usitatis (ut 5, 15. 6, 8. 21. 26, 5 seqq.), quae ab antiqua legum et sermonis legislatorii simplicitate et gravitate recedere videntur. — Accedit etiam numeri in populi appellatione discrepantia, qui a plurali vv. 3 et 4 exorsus v. 5 in singularem repente mutatur, Decalogo legibusque c. 21—23 sequentibus et quibusdam aliis proprium, hinc Deuteronomio praesertim adamatum, sine dubio illinc desumtum.

Haec sane ejusmodi sunt ut aut interpolatam posterioribus additamentis, aut non primitivam et authenticam legis formam h. l. haberi statuas. Accedit quod cum v. 3 Moses inducatur praecipiens, non Deus (nam quae v. 1. 2 praecedunt Dei verba, ab h. l. aliena esse vidimus), ex cujus ore constat pendere Mosem illius interpretem, ita ut nihil fere praecipiat nisi quod Deus prius mandaverit: ad alium locum quodammodo remitti videmur, ubi ipsum Dei mandatum habeatur, a quo istud Mosis edictum derivandum sit. Id autem occurrit paulo ante h.l. in cap. 12, vv. 15—20.

2. *Exod.* 12, 15—20:

15. „*Septem diebus azyma comedetis* [*primo autem die fermentum auferetis e domibus vestris: nam quicunque comedet fermentatum, ista anima exscindatur ex Israele*], *a primo die usque ad septimum.* 16. *Et in* **primo** *quidem die* **concio sacra** *et in* **septimo** *concio sacra sit vobis: opus ullum ne fiat in illis, nisi quod comeditur a quaque anima, id solum fiat vobis.* 17. *Et observate azyma; nam hoc ipso die eduxi copias*

19) Hinc repetita exstat totidem verbis Ex. 34, 19—20, in legum repetitarum farragine quae Ex. 34, 18—26 inserta est.

20) Primogenitorum enim sanctitas non aliā ex ratione derivanda videtur quam qua primitiae omnis generis apud omnes fere populos Deo sacrae habentur. Ubi in legibus Mosaicis locum sibi proprium occupaverit, certo definiri non potest: conjicias in sacris codici Ex. 21—23 subjunctis, ubi certe desideres.

vestras e terra Aegypto; observate igitur hunc diem in generationes vestras ritu perpetuo. 18. *In* primo (*mense*), decimoquarto *mensis*, vespere *comedetis azyma*, usque ad diem mensis vicesimum primum vespere. 19. *Septem diebus fermentum ne inveniatur in domibus vestris: nam quicunque comederit fermentatum*, ista anima excindatur e coetu Israelis, tam hospes quam terrae indigena. 20. *Fermentatum ullum ne comedatis, in omnibus sedibus vestris comedetis azyma*".

Ibi quidem recurrunt edicti Mosaici summae: 1) princeps illa et communis „septem diebus" etc. v. 15. 2) negativa, ne edatur fermentatum, neque vel inveniatur fermentum in domibus eorum v. 15. 19. 20 (cf. 13, 3. 7); 3) ritûs causa: quia hoc ipso die Jhvh ipsos eduxerit ex Aeg., eumque diem perpetuâ observandum lege v. 17 (cf. 13, 3. 10); 4) septimum diem festum (vel potius feriatum) esse v. 16. 18. Caetera vero hîc multo accuratius definita cernuntur. Nam 1) septem illi dies non mense tantum, sed numero etiam dierum ejus mensis definiti: in primo scil. anni mense (cujus nomen abest) a 14. usque ad 21., et a vespera quidem illius diei usque ad hujus vesperam v. 18[21]). 2) Quod 13, 6 septimo diei tribuitur festum, h. l. primo cum septimo communicatur; quo pacto tollitur quod moleste feras, ipsum exitûs diem, primum azymorum, festâ carere solennitate. Haec autem solennitas (festi tamen vocabulum abest) 3) definitur concione sacra et operis cessatione; quarum posterior ita definitur ut nihil liceat fieri nisi quod a quoque edatur (אַךְ אֲשֶׁר יֵאָכֵל לְכָל־נָפֶשׁ)[22]) h. l. ipsum edendi actum. 4) Fermentati prohibitio mortis poenâ sancita; fermenti autem absentia ita munita, ut primo die de medio tollatur v. 15.

Haec quidem tanti sunt, ut vix intelligas quomodo omitti in illo Mosis edicto potuerint, quod tamen verborum non est parcius sed vel verbosius nostro. Accedit

---

21) Quae festi determinatio sane non aliter stare potest cum septem dierum numero, nisi ut illorum dierum alteruter excludatur, h. e. ut aut ab initio 14ti putetur ad initium 21mi, hoc excluso, aut a fine 14ti ad finem 21mi, illo excluso. Quod ad hanc redire quaestionem intelligitur, utrum 14ti vespera, a qua festi initium ducitur, ejus diei initium faciat (s. 13ti finem), an finem (s. 15ti initium). Illud quidem praeferendum videri possit, siquidem Hebraeis constat a vespera initium diei duxisse. Sed nihilominus h. l. formula „decimo quarto vespere" (בָּעֶרֶב) 14^a finem intelligi posse, comprobatur ejusdem formulae exemplo Lev. 23, 32, ubi decimus septimi mensis dies (qui expiationis est) accuratius definitur „nono mensis vespere", quippe noni fine, decimi initio. Atque hoc sensu intelligendam esse eo certum est quod et nullum in contrariam partem habetur exemplum, et in caeteris legibus usu eundem receptum videmus, ut Lev. 23, 5. 6.

22) Quod ita intelligi solet ut ea etiam comprehendat quae ad parandum cibum necessaria sunt. Sed vereor ut recte: nam et verba nihil aliud ingerunt quam ipsum edendi actum, et usus parandi et coquendi praesertim cibi operam a Sabbatho excludit.

quod alia etiam habentur quae ab illo differant, vel per se ipsa difficultatem pariant. Primum quod iste azymorum ritus non festum vocatur, ut alibi semper, sed sabbathali tantum concione et quiete primo et septimo die celebratur (ipsum sabbathi nomen abest, ut in caeteris legibus), quae tamen cum illo non perinde putanda. Deinde quod, cum primus dies sabbathali quiete distinguatur, hoc ipso tamen die haec agenda deprehendantur quae ab illa quam maxime patet abhorrere: 1) ut fermentum de medio tollatur ex v. 15; 2) panes azymi coquantur, quod ante sublatum fermentum fieri non poterat, nisi hoc ratione prorsus carere et temere mandatum statuas; qui panes cum ab ejus diei initio, decimi quarti vesperā, ex v. 18 comedendi erant, tum jam praesto esse debebant. Accedit quod ejusdem diei initio, ex alia lege in eodem cap. tradita, 3) etiam agnus paschalis mactandus et comedendus erat, dum primogenitorum Aeg. trucidatio fieret; elapsā autem nocte ubi dies illuxerat, 4) egressio ex Aegypto facta est v. 17, cf. v. 31 seqq. Num. 33, 3. 4. Haec omnia quomodo Sabbatho fieri poterant? Sed ut a Sabbathi sanctitate discesseris: quoniam plura in idem temporis momentum, diei initium, cadunt quae sibi succedere necesse est, ne cum temporis quidem ratione constare possunt. Nam quomodo panes azymi ab initio edi poterant, nisi antea parata essent, et quomodo antea parari poterant, fermento nondum sublato, quod primo demum die tollendum erat? Quod si antea factum non temere statuas, illius de tempore praecepti (quod sane v. 15 insertum intempestive venit) nullam rationem habendam ratus — quemadmodum etiam Judaeorum posteriorum usu antea sublatum videmus —: neque azymorum ab initio comestio, unà cum Pascho (ex v. 8), constare potest cum eo quod ad ritum azymorum derivandum traditur vv. 34 et 39: Israelitas, Aegyptiis ad exeundum urgentibus, massam antequam fermentaretur exportare coactos, in prima post egressionem statione placentas azymas coxisse. Quod hac ipsa etiam lege aperte significatur v. 18 voce הוֹצִאֲתִי, qua eductio facta ponitur, quemadmodum in Mosaico edicto 13, 3. Ex quo intelligitur quam parum haec azymorum edendorum lex tum sibi ipsi constet, tum vero cum hoc loco et tempore conveniat, quo id nemini in mentem venire poterat futurum quod ipsa factum ponit, et cujus facti memoriam instituit ritu azymorum celebrandam, quae futuri sane nulla est. Alieno loco positam esse etiam illud indicat quod capite caret, abrupte praecipiens „septem diebus azyma edetis“ etc., sine formula sueta וידבר יהוה etc. vel alia loquentis mentione. Nulla enim praesto est ad quam referri possit, nisi praecedentis de Pascho mactando exordium v. 1—3: sed illud quominus huc trahas, ut fieri solet, obstat argumenti diversitas, et quod nullum aut nexûs vel societatis cum illa, aut transitûs ad aliam ejusdem generis legem deprehenditur vestigium; ita ut propria lex et ab illa prorsus aliena habenda sit, quemadmodum etiam alibi c. 13 et 23 solum azymorum ritum sine Paschi mentione exhiberi videmus. Accedit quod qui sequuntur hunc locum vv. 21—28, ubi Moses Dei mandatum caeteris aperit jam exsequendum, ad Paschi tantum ritum pertinent, nec azymorum ulla fiat mentio, quasi hi versûs statim

excipiant illum de Pascho locum v. 1—14, nostrum ignorantes, quo nexus iste direllitur. Ergo loco suo movenda est et post cap. 12 ponenda, ubi verbis v. 51 (qui repetitus ex v. 41) „et factum hoc ipso die Jhvh eduxit Israelitas ex terra Aegypti pro agminibus eorum“, apte veniret subjuncta: siquidem ibi non res tantum eadem habetur quam ponit factam, sed iisdem etiam formulis expressa quibus utitur v. 17, ut בעצם היום הזה, צבאותם, מארץ מצרים. Explendum tantum exordium, quale ibi sequitur 13, 1, ויאמר יהוה etc., nunc quidem primogenitorum legi praemissum, quam alieno loco positam vidimus, primitus vero ad nostram forte referendum.

Caeterum in ipsa etiam lege sententiarum ordo parum aptus et forte turbatus deprehenditur. Prae caeteris praeceptum de tollendo fermento offendit v. 15 statim primo de edendis azymis subjunctum, quippe quod et hujus nexum cum fermentati interdicto capitis poenā sancito, particulā כִּי palam expressum, interrumpit importunissime; et praemissum poscit, quod infra v. 19 demum habetur, interdictum ne fermentum in domibus eorum deprehendatur, cui aperte se adjungit particulā אַךְ i. e. et quidem, vero, definiendae vel restringendae sententiae propriā (cf. Lev. 23, 27. 39). Huic itaque subjungendum videtur, in v. 19 transponendum; quo efficitur ut et „primo die“ habeat quo referri possit, scil. septem dies quibus nefas deprehendi fermentum, et „e domibus vestris“ quadret ad „in domibus vestris“; sequente etiam eādem sanciendi formulā cum part. כִּי, ut v. 15. Quae quidem et ipsa v. 15 male anticipata cernitur, quippe illud ipsum cui sanciendo inservit interdictum fermentati, quod v. 20 demum habetur, antevertens; hinc v. 19 repetita, sed vel ibi intempestive: aptius enim interdicto utrique v. 19. 20 subjungeretur clausula, ut solet. Denique formula qua universa lex injungitur perpetuo observanda, clausula legibus solennis, v. 17 male mediae inserta habetur, et ita quidem ut vv. 16 et 18, quibus singuli festi dies definiuntur, importune interrumpat[23]).

3. *Exod.* 12, 1—14.

Sed hanc legem alia praecedit vv. 1—14, ejusdem diei memoriam celebrandam indicens alio ritu, Pascho[24]) s. agno Paschali mactando et comedendo. Ibi Deus Mosi et Aharoni primum praecipit

ut hic mensis caput s. primus anni mensium habeatur, deinde edicere jubet uni-

---

23) Eadem ordinis perturbatio et fragmentorum temere disjectorum farrago in caeteris quoque cap. 12. partibus conspicitur, quemadmodum etiam in cap. 13 et 6, nec non in aliis locis circa egressum ex Aegypto.

24) Hoc vocabulum temere vulgo formā ex LXX et N. T. desumtā *Pascha* reddunt, quam constat esse Chaldaicam; flectunt vero *Paschatis* etc., quasi Graeca sit. Equidem hoc ut sequar a me impetrare non possum, nec video cur deseratur forma Hebr. *Pésach* (פֶּסַח) vel potius *Pásach* (haec pausalis, פָּסַח, quoniam vocalem nativam servat, praeferenda videtur, quemadmodum in caeteris ejusmodi formis, ut *Térach*, *Lámech*, *Hábel* pro *Térach* etc.). Jam in his formis vocalem ultimae cum constet esse assumtam, accedente syllaba ejiciendam, flectendum patet *Paschi*, *Pascho* etc.

verso Israelis coetui (עֲדַת י׳) ut decimo mensis die unusquisque agnum (שֶׂה) s. ovilli s. caprini generis quaerat pro singulis familiis — s. etiam binis, assumtâ proximâ, prout edentium numerus ad comedendum agnum necessarius requirat[25]) —, integrum illum quidem, masculum, anniculum; ad decimum quartum usque mensis diem servandum, quo mactandus universis inter vesperam utramque (בֵּין הָעַרְבָּיִם[26]); mactati autem sanguine domûs cujusque postibus et superliminari asperso (hyssopi fasciculo, ut additum v. 22), carnem in ea nocte comedant unà cum azymis et lactucis amaris, non crudam quidem aut aquâ coctam sed igne assatam, caput unà cum cruribus et intestinis (i. e. integrum agnum); nec quicquam relinquant ad mane, si quid vero relictum sit igne comburant[27]). Hunc autem ritum simul observandum, ut lumbis accincti, calceis induti, baculum manu tenentes, in festinatione, (scil. tanquam profecturi[28]) edant. Addit se per terram Aegyptiorum in ea nocte omne primogenitum tam hominum quam jumentorum occisurum, sed conspecto sanguine domibus ipsorum asperso has transiturum (פסח) et immunes ab ista clade esse dimissurum (unde v. 27 nomen ejus sacrificii זֶבַח הַפָּסַח i. e. *transitûs sacrificium* derivatur). Denique v. 14 hunc diem eis memoriae esse (לְזִכָּרוֹן), festumque Jhvo perpetuâ generationibus lege agendum sancit.

Quae deinceps vv. 21 seqq. et a Mose convocatis populi senioribus tradita di-

---

25) Hoc ideo cautum esse videtur ne quid carnis supersit ex coena non comestum, quod quidem nefas esse pronunciatur v. 10, ubi interdicitur ne quid ex eo relinquant ad mane, et siquid relictum sit, igne comburant; quod epulis sacris solenne, v. not. 27.

26) Hanc formulam de tempore tam mactandi agni paschalis quam sacrificii et suffitûs vespertini usitatam equidem (cum Pharisaeis fere et Talmudistis faciens) ab hoc duplici sensu vocis עֶרֶב repetendam esse existimo: 1) = dies inclinans i. e. altera diei pars, a meridie usque ad solis occasum; 2) prima pars noctis, eademque sequentis diei initium, ab occasu solis ad mediam fere noctem, vel alteram vigiliam. Illi opposita erat בֹּקֶר i. e. prior pars diei a diluculo usque ad meridiem, s. dies crescens. Quemadmodum enim singuli menses et anni, ita dies duplici vicissitudine distincti fuisse videntur, tum lucidâ et obscurâ i. e. die et nocte, tum vero lucis crescentis et decrescentis i. e. בקר et ערב. Qua formula universum etiam diem comprehendere solebant. Hinc meridies, qua istae dirimebantur, Hebr. צָהֳרַיִם dicta i. e. utraque lux, vel potius punctum inter utramque lucem, pro בין צוהרים. Eundem in modum בֵּין הָעַרְבַּיִם inclinantem diem (ערב) dirimebat ab ingruente nocte, quae item עֶרֶב dicta; unde formula tempus fere circa occasum solis indicare videtur. Eâdem ratione et Graecos constat δείλην (= ערב, vespera) distinxisse πρωΐαν i. e. primam a meridie, et ὀψίαν post occasum solis; et populariibus nostris vocabulum „Abend" a meridie inde usitatum tam diem inclinantem quam primam noctis partem significare.

27) Quod universis sacrificiorum carnibus et epulis sacris sancitum (cf. supra 23, 18): eucharisticis praesertim Lev. 7, 15. 22, 30 et in consecrationibus Ex. 29, 34. Lev. 8, 31.

28) Ad significandam scil. festinationem quâ urgentibus Aegyptiis proficiscendum erat, v. 31—33; a qua azymorum etiam ritus repetitus est v. 34. 39.

cuntur (ita tamen ut de mactando tantum Pascho, omisso edendi ritu, praeciperet, potissimum autem in aspergendi sanguinis ritu amplius exponendo, et commendandā sacri ubi in terram promissam venerint perpetuā observatione, filiis etiam exponendā, versaretur), et a populo peracta.

b. Exod. 12, 43—50.

Huic legi in ejusdem capitis fine vv. 43—50 aliud supervenit de eodem ritu ilsdem viris mandatum Dei statutum, quo illa pluribus augetur, quae ad munien-dam potissimum ritûs sanctitatem pertinent. Sancitur enim

primum ne quis alienigena inter Jsraelitas degens, sive servus sive inqui-linus vel mercenarius, comedat de Pascho, nisi sit circumcisus: Jsrae-litarum vero ut „universus id agat coetus“ (cf. v. 6, h. e. circumcisorum nemo non, cf. Num. 9, 13): ita ut eādem teneantur lege et indigena et hospes (Num. 9, 14); deinde ut in unā quodque edatur domo[29]), nec domo quicquam efferatur carnis, nec os ei confringatur ullum[30]).

c. Num. 9, 10—14.

Accedit tertium Num. 9, 1—14, cum primum in deserto rediret agendi tempus; ubi cum essent quibus abstinendum erat propter immunditiem ex funere con-tractam, se sic exclusos ab „offerenda stato tempore Jhvo oblatione“ aegre feren-tibus: Jhvh a Mose consultus v. 10—14 edixit:

si quis propter immunditiem ex mortuo vel peregrinationem exclusus sit, ei sequentis mensis eodem die, tempore et ritu legitimo, faciendum esse Jhvo sacrum; si quis vero non impeditus ejusmodi causis sacrum omittat, eum exscindendum esse ex populo, ut qui oblationem Jhvo non obtulerit stato tempore (קרבן יהוה לא הקריב במועדו), culpam suam ipsi sustinendam (חֶטְאוֹ יִשָּׂא[31]).“

---

29) Hoc est ut ab iis qui in ejusdem agni societatem veniunt, sive eidem domo vel familiae ad-scripti sive ex binis collecti ex lege v. 4, eodem loco unà comedatur, ~~scil. communi coena~~, non in diversas domos distribuatur; quo spectat etiam quod subjungitur: „ne quid carnis domo efferatur“. Ergo non ab idoneo tantum numero qui ad consumendum sufficeret, sed communi etiam coena unusquisque agnus comedendus erat. Nam cum supra v. 4, nequid sacri interiret vel in profanum usum cederet, idoneo vescentium numero, ~~qui ad consumendum agnum sufficeret,~~ consultum esset assumtā proximā domo: jam h. l. cautum est ne forte distributā pro portione in diversas domos carne, sic sacri divelleretur communio, sed binae in eandem conjungantur familiam, et conservetur quae v. 3 (verbis מֶה לַּבַּיִת) significatur sacri domestici natura.

30) H. e. ut integrum conservetur in assando, quemadmodum etiam totum comeditur ex v. 9. Idem repetitum occurrit Num. 9, 12.

31) Formula (pro qua etiam נשׂא עֲוֹנוֹ, ut Lev. 7, 18) solita si cui culpae peccato contractae, Dei non impetratā remissione (velut si sacrificium ei oblatum non acceptum est), onus ipsi sus-tinendum est i. e. poena luenda, et mors quidem, quae saepius apposita, ut Lev. 22, 9. Num. 18, 22. Opposita נִסְלַח לוֹ legibus de sacrificiis piacularibus solennis, ut Lev. 4, 20. 26. 31. 35. 5, 10, 13. 16. 18. 26.

Qua data occasione simul quaedam ex supra traditis repetuntur, praesertim de non confringendis ossibus, et quod eādem hospes cum indigena teneatur lege (Ex. 12, 46—49).

His igitur de Pascho et Azymis legibus duplex ejusdem diei commemorandi festum et eodem tempore videtur institutum, Paschi et azymorum. Quorum illud in noctis potius exitum praecedentis, caedisque primogenitis tum inflictae memoriā nocturno ritu celebranda versabatur, hoc ipsius diei et exitûs feliciter peracti. Utrumque autem cum ab eodem temporis momento initium ducat, decimi quarti vespera, ergo simul celebratum: unum potius festum esse videtur, duplici tantum comestione distinctum, carnis et panis, quemadmodum in caeteris etiam coenis fieri solet; nisi quod panis istius (azymi) usus per septem dies continuandus erat, hinc altero sabbatho vel festo terminatus (12, 18. 13, 6).

Sed quominus ita statuamus, gravissimae obstant rationes. Primum hoc mirum occurrit quod, cum Pasach illud ad noctem, ut diximus, pertinere appareat, nocturno etiam ritu insigne (unde v. 42 לֵיל שִׁמֻּרִים dicitur), tamen v. 14 in clausula „*hic dies*“ jubeatur esse memoriae, formulā egressioni ex Aegypto ejusque monumento, azymorum festo, propria (v. 17. 41. 51. 13, 3. 4). Sed magis etiam mirum quod festum ibi dicitur Jhvo celebrandum (וְחַגּוֹתֶם אֹתוֹ חַג לַיהוָה), quod inauditum Pascho supra ad Ex. 34, 25 vidimus, ab hoc ritu quam maxime alienum. Quare ista clausula v. 14. minime Pascho tribui posse intelligitur. Huic vero apta clausula habetur v. 42 manifesto ritum paschalem spectans: „*nox est observationis* (s. celebrationis) *Jhvo sacrae*“ (לֵיל שִׁמֻּרִים הוּא לַיהוָה) h. e. haec nox ritu sacro celebranda (vel celebrando ritu Jhvo sacranda) est, ut planius exprimitur verbis adjectis: „id est haec nox Jhvo sacra omnibus Israelitis observanda s. celebranda per generationes eorum“ (הוּא הַלַּיְלָה הַזֶּה לַיהוָה שִׁמֻּרִים לְכָל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל לְדֹרֹתָם[32]). Qui versus cum ibi abruptus plane et alieno loco positus appareat, nisi omni eum nexu carere et glossam a posteriore manu temere additam esse statuas, non alium habet quo referatur nisi legem paschalem v. 1—13 traditam, in versûs 14. locum surrogandus, quem suo loco movendum intelleximus. Hic autem quo referendus sit, vix dubium esse potest, quoniam formulae לְדֹרֹתֵיכֶם חֻקַּת עוֹלָם, חַג לַיהוָה, הָיָה לָכֶם לְזִכָּרוֹן, הַיּוֹם הַזֶּה festo azymorum usitatae et fere propriae (ut v. 17. 41. 51. 13, 3. 6. 9), hāc in libri parte et hōc certe historiae puncto non ad alium sane diem et ritum

---

32) שִׁמֻּרִים i. q. לִזִּכָּרוֹן v. 14. 13, 9; quemadmodum שמר de rei memoria et ritu memoriali usitatum v. 17. 24 seqq. 13, 10 al. i. q. זכר, ut זָכוֹר 13, 3. 20, 8 (de Sabbatho), ubi Deut. 5, 12 שָׁמוֹר. — הַלַּיְלָה הַזֶּה formula legi paschali propria v. 8. 12; unde h. l. desumta. — לַיהוָה ritibus et temporibus sacris solenne, ut חג ל, מסח ל, שבת ל, quo haec Deo sacrata esse significatur, cf. 20, 10. 35, 2 cum 31, 15 ubi insertum קֹדֶשׁ. Quod autem additum est לְהוֹצִיאָם מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם, hoc eidem confusioni cum azymorum ritu tribuendum videtur quam in ipsa lege deprehendimus, et qua huc delatus est iste versus.

pertinere possunt quam ad egressionis diem et azymorum ritum illi sacratum. Accedit quod festi appellationem in lege azymorum v. 15—20 supra desideravimus, quae jam h. l. se offert quaerentibus. Id tantum quaeri potest quem in hac lege locum occupare putandus sit; quod difficile quidem dictu, quoniam turbatum ejus ordinem vidimus et sententiarum iterationibus laxatum. Nam quominus in fine ponas clausulam, qualis esse solet, impedit clausula alia v. 17 mediam interrumpens et in fine ponenda. Jam vero cum ad finem capitis post v. 51 legem conjecimus detrudendam, ubi praecedit illius diei commemoratio a qua incipit (הַיּוֹם הַזֶּה): ibi locum quem nunc occupat, in fronte legis, tueri videtur, ordiendae quippe non minus apta quam perorandae. Nam quod objicias non commode orationem ordiri formula וְהָיָה, hoc in tanta textûs perturbatione et fragmentorum farragine, praesertim in lege sueto legum exordio וידבר יהוה etc. truncata, non multum potest efficere.

Deinde legis supplementum quod vv. 43—49, inter alia fragmenta exitum spectantia, hōc commemorato post primam itineris stationem inserta, habetur adjectum, quoniam tum a loco illo et tempore (scil. in prima statione) plane alienum est, tum vero argumento suo non ad Aegyptiacam populi conditionem sed ad Canaaniticam tantum pertinet (siquidem de „*advenis*“ omnis generis in terra ipsorum degentibus agit, unā cum „*indigenis*“ lege circa hunc ritum tenendis), inscriptione autem sua זֹאת חֻקַּת הַפֶּסַח nec tempus ullum nec cum alia nexum profitetur, sed proprium sibi locum vindicat: temere huc delatam esse patet, ab Aegypto certe alienam, sed pari cum caeteris legibus quae feruntur Mosaicae numero habendam.

Sed nec ipsa lex paschalis vv. 1—13 locum suum quo positam videmus, ante exitum ex Aegypto, tueri potest, non magis quam sequentem vv. 14—20 azymorum legem posse vidimus. Vel ex ipsa enim rei natura, per se s. (quod dicere solemus) a priori considerata, facile intelligitur fieri plane non posse ut festum *μνημοσύνου* instituatur antequam id factum sit cujus facti memoria agitur celebranda. Minime vero omnium patet ejusmodi cogitationem in eam cadere posse conditionem et animorum perturbationem qua Israelitas ante exitum positos videmus capp. 11 et 12, summā rerum futurarum anxietate suspensos, et intra brevissimum illud temporis spatium inter ultimae cladis denunciationem 11, 4—8 ejusque effectum, quod vix unius diei esse videtur (vide p. 19). Sin divinā illos revelatione monitos fuisse objicias: ipsi etiam ritûs instituti, quaeque praeterea in lege occurrunt, ab illa conditione abhorrent, et rerum gestarum ordini qualem in hoc ipso capite a v. 29 traditum habemus, manifesto repugnant. Velut si „*lumbis accincti, calceis induti, baculum manu tenentes et in festinatione*“ sacrum comedere jubentur v. 11, scil. tanquam ad profectionem parati et promti ejusque signum exspectantes: hoc quidem illi et rerum et animorum statui incerto et suspenso apprime convenit: sed sane nec sacrae coenae solennitati et religioni, quae animum requirit curis vacuum et unice rebus divinis intentum, aptum deprehenditur, nec vero cum eo conciliare

posse videtur quod vv. 31 seqq. traditur, profectionis eādem nocte post caedem Aegyptiis inflictam his urgentibus tam subito et inopinantibus supervenisse necessitatem, ut massam nondum fermentatam secum ferre, ac deinceps ex hac coctos panes non fermentatos edere cogerentur. Ex quo intelligas quamparum illi divinitus moniti talia exspectavisse et ritum tali habitu peregisse putandi sint. Idem dicendum de azymorum ex v. 8. unà cum Pascho comedendorum ritu, maximi illo quidem in hoc sacro momenti: qui quoniam, ut diximus, vv. 34. 39 ex eo quod in ipsa profectione propter festinationem forte accidit derivatur, ab hoc loco, ante profectionem, alienus apparet. Isti quidem ritûs post factum demum institui potuerunt mnemonici, factum quodammodo repetentes.

Jam vero quominus ex his forte colligas legem unà cum sequente de azymis, quam post exitum ad finem capitis relegavimus, in eundem locum transponendam esse, obstat primum quod vv. 12. 13 subjungitur, sanguinem domibus Israelitarum Pascho vescentium illitum signo fore Deo primogenita Aegyptiorum caedenti, ut has transiliat (פסח, unde nomen sacri derivatum) h. e. immunes et illaesos relinquat: ergo dignoscendis et servandis a clade futurum. Idque potissimum a Mose vv. 21 seqq. jussum Dei promulgante repetitur et tanquam gravissimum inculcatur. Ut jam non mnemonicus tantum impetratae salutis, sed impetrandae etiam causa, atque avertendae cladis remedium (averruncus quodammodo) institui ritus intelligatur. Sic sane necesse erat ut ante eventum et institueretur et statim observandus promulgaretur. Verum haec ratio ejusmodi est ut quomodo aut cum mnemonica, quae simul inculcatur, conciliari, aut in Dei personam quadrare possit, minime intelligas: imo tam manifesto apparet et inepta et Deo indigna, ut nullo modo pro vera et authentica habenda sit. Ista autem cum post ipsius ritûs adumbrationem, formulā הוא פסח ליהוה tanquam clausulā quodammodo finitam, legi adjecta sit vv. 12. 13, hos versûs, unà cum Mosis promulgatione vv. 21—28 his praesertim innixa, additicios habere proclive est. Sed alia etiam legi insunt quae non minorem pariant difficultatem, tam sibi repugnantia ut vix ullam temporis rationem admittant. Nam cum inserta habeatur inter cladis novissimae denunciationem 11, 4 seqq., ejusque effectum 12, 29 seqq.; illa autem „mediā nocte“ dicat futuram esse, quod vix de alia nocte quam sequente intelligi potest[33]): eodem die, scil. ejus mensis decimo quarto, antequam nox illa ingrueret, legem nostram sequitur fuisse institutam. Atqui praecipit v. 3 quae decimo mensis die facienda sint: ergo ante decimum lata sit necesse est (in eodem tamen mense, qui passim praesens appellatur חדש הזה v. 2. 3. 6, primus quidem definitus v. 2).

33) Nisi enim hanc Moses significasset, nihil dixisset, nec facile hac uti potuisset formula. Nam sane non noctis punctum quo facienda erat attinebat definire, sed qua nocte. Ac solent etiam statim evenire quae Moses denunciat.

Rursus vero nox illa decimi quarti identidem dicitur *haec nox* (הַלַּיְלָה הַזֶּה) v. 8. 12. 42, quod praesentem innuit, sive illa instet sive jam adsit; certe non alio sensu accipiendum quam quod in lege de azymis sequitur plane analogum הַיּוֹם הַזֶּה v. 14 seqq., quam eodem die, sed post factum, latam vidimus exhiberi. Quae omnia adeo secum pugnant et temporis quidem puncto illi quo introductam videmus adversantur, ut nec huic nec alii illius temporis et conditionis puncto tribui possit, sed omnis potius temporis ratio intelligatur sublata. Accedit quod quae in exordio v. 2 adjicitur temporis notitia vaga et late patens בְּאֶרֶץ מִצְרָיִם [34]) — parum illa quidem arcto isti rerum gestarum ordini temporisque spatio apta — eandem temporis incertam rationem et inconstantiam prodit; non obscurum indicium interpolatae narrationi alius generis laciniae et male agglutinatae (qualibus illa pars libri prae caeteris scatet), qua cladis denunciatio 11, 4—8 ab ejus effectu 12, 29 seqq. divellitur. Neque temporis tantum, sed ipsius etiam notionis et rationis inconstantia, qua contraria plane quae nullo modo constare possunt confusa et perinde habita videmus — velut causa vel occasio festi cum festo ipso, scil. ritus impetratae salutis mnemonicus idemque impetrandae causa (averruncus), item prima festi institutio cum terrae Canaaniticae observatione — arguunt legem Mosis non authenticam haberi, sed multo post huic tempori et loco affictam et accommodatam [35]). Nam talia sane nemini excidere poterant nisi qui institutum certo temporis Mosaici puncto invitum affingeret. Quemadmodum etiam primogenitorum sanctitatem 13, 11 seqq. ab eodem tempore et facto temere derivatam videmus.

Neque azymorum etiam lex eum tueri poterit locum quo supra dejecimus, post exitum quidem sed eodem die, quem ipsa prae se fert verbis בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה, scil. postquam primam itineris stationem nacti panes non fermentatos paraverant (12, 39). Quamvis enim hoc, quod ante eventum cogitari plane non posse diximus, post eventum quidem cogitatione saltem assequi possis: tamen loci illius et temporis rationibus, dum tanta turba in cibo post praecipitem fugam parando et sumendo aliisque providendis itineris necessitatibus occupata erat, minime consentaneum esse et a veri specie quam maxime abhorrere vix quisquam infitiabitur. Neque ulla succurrit ratio quare eo tempore ritus institutus sit quo ne promulgandi quidem et audiendi otium suppetebat, nedum observandi et per septem dies con-

---

34) Opposita, opinor, illi quae novellae Num. 9, 1 adjecta legitur בְּמִדְבַּר סִינָי; quemadmodum leges Pentateuchi universae in clausulis adjectis loci ubi latae fuerint significationem addere solent; qua ratione quadruplex legum distinguitur agmen: 1) in terra Aegypti latae, 2) in monte Sinai, 3) in deserto Sinai, 4) in campestribus Moab.

35) Cf. quae pridem *de Wettius* apposite monuit: Versuch über die Glaubwürdigk. der Chronik p. 292 seqq. Kritik der Isr. Geschichte p. 195 seqq. (praeeunte quadam *Vetero* comment. ad Pentat. II, 32); nec non *J. F. L. George* die älteren Jüd. Feste p. 86 seqq.

tinuandi; quod factum esse sane nec traditum usquam legitur, et ipsā etiam itineris ratione excluditur. Praeterea ne hoc quidem intelligi potest quomodo illud quod casu in hac egressione accidit, ut proficiscendi festinatione a massae fermentatione prohibiti panes in prima statione non fermentatos edere cogerentur, in illo ipso temporis puncto tam gravē legislatori et memorabile videri potuerit ut ritu et festo perpetuo celebrandum praeciperet. Hoc certe fieri non potest nisi multo post res gestas: quarum dum gratā mente revolvitur memoria, vel leviora quae tum acciderunt, si quid insit insoliti et miri, memoriā digna et cultu quodam ac ritu prosequenda videri possunt. Quod an Mosi vel illorum accidere potuerit aevo, qui deserti tristissimi per 40 annos peragrandi aerumnis exhausti succubuerunt, vehementer dubito. Certe ab universa illa aetate cultum istum et ritum alienum fuisse, fidem facit ipsius V. T. testimonium Jos. 5, 2 seqq., ubi Josua et circumcisionis et Paschi ritum, quem sine illa agere nefas erat, per omne illud tempus intermissum instaurâsse traditur. Sed missā etiam Mosis aetate, nescio an ejusmodi ritus ex sola ejus quod in illo exitu accidisse fertur memoria unquam videri possit esse ortus. Quicquid enim illi tribuas, minime tamen liquet quare per septem dies continuandus sit azymorum esus quo unius diei recolatur memoria; et quare tanta panis fermentati religio fuerit ut poena capitali interdiceretur, neque usus tantum sed vel conspectus prohiberetur, ipsumque fermentum prorsus de medio tollendum esset. Neque hoc facile intelligas quomodo tam diversa in illius exitûs memoria: intermissa quidem fermentatio cum liberatione ex primogenitorum clade — tam leve momentum cum tam gravi — in unius ritûs conjungi potuerint societatem.

Leges autem ubi haec de azymis et Pascho habentur Exod. capp. 12. 13, quamvis illi quam primo loco exhibuimus de festis legi Ex. 23, 14 seqq. (et universo codici in quo habetur Ex. capp. 21—23) antiquitate aequiparandae non sint, tamen inter antiquiores et vel antiquissimos Pentateuchi fontes referendae sunt. Facile enim in his, de azymis praesertim, agnoscitur Elohistae illius manus, antiquissimi rerum Mosaicarum scriptoris, quem constat prima jecisse Pentateuchi fundamenta; cujus quidem formulae tritissimae, in Genesi (cap. 9 et 17) jam obviae — velut חֻקַּת עוֹלָם, לדרתיכם, בעצם היום הזה, ונכרתה הנפש ההוא al. —, ac universum fere dicendi genus deprehenditur. Ex quo sequitur ne in antiquissimis quidem Pentateuchi monumentis primitivam ac veram haberi festorum formam et rationem; sive illam non acceperint integram, sive textus eorum corruptus sit. Atque idem etiam dicendum de iis quae in prima illa Ex. 23, 14 seqq. azymorum festo adjecta leguntur: *„quemadmodum praecepi tibi“* et *„nam hōc* (mense) *exiisti ex Aegypto“*; quae forte pro interpolatis habenda.

Jam si leges istae de Pascho et azymis nec loco suo et tempori quo latae feruntur aptae, nec textu et argumento genuinae et integrae habendae sunt, sed multo post temere rebus Aegyptiacis insertae et illi tempori accommodatae ac fere detortae: collabitur omnis eorum quae de origine et ratione utriusque instituti ibi

traduntur fides et auctoritas. Hac autem collapsa, necesse est universam istam historicam vel mnemonicam rationem incertam reddi ac fere corruere; quia si illa fallunt, nihil certi praesto est quod in eorum liceat locum substituere. Quae cum ita sint, nihil fere in legum istarum argumento nobis relinquitur certum et indubitatum praeter ritûs ipsos. Hos igitur solos habemus quos in investiganda illorum ratione sequamur duces: ex horum scil. natura et usu vel analogia nostro ipsorum judicio causas instituti et rationes aestimantes. In ista autem perscrutatione primum Hebraeorum ipsorum usus petendus esse mihi videtur, antequam ad caeterorum confugiamus analogiam.

Et primum quidem azymorum ritum per se ipsum si consideramus et quid sibi velit quaerimus, statim occurrit usus azymorum in oblationibus et ritibus sacris. Constat enim omnem oblationem incruentam (מִנְחָה), sive seorsim oblatam sive sacrificiis cruentis additam, infermentatam fuisse, h. e. non fermento aut melle sed sale condiendam, ex lege Lev. 2, 11—13 (cf. legem supra exhibitam Ex. 23, 18 qua fermentatum prohibetur addi sacrificio). Qualem tam holocaustis adhiberi videmus (ut Jud. 6, 19 seqq.), quam eucharisticis (Lev. 7, 12), praesertim ad inaugurandos sacerdotes (מִלֻּאִים Ex. 29, 2. 22 seqq. Lev. 8, 26) et Naziraeos (Num. 6, 15 seqq.) oblatis. Quò etiam panes Deo appositos (Lev. 24, 5 seqq.) referendos esse, quamvis expressum non sit, ex ipsa re patet. Haec igitur azyma omnia quoniam in sacri cibi numero erant, quo nemini nisi consecrato vesci fas erat, et sanctissima quidem (קֹדֶשׁ קָדָשִׁים) s. sacrosancta habita, sacerdotibus cedebant, quibus tamen et ipsis nefas erat ad vescendum accedere nisi masculis iisque mundis s. lustratis, et in loco sancto Lev. 6, 9—11. 10, 12 seqq. 24, 9; eādem religione qua utebantur piacularium carnes Lev. 6, 19 seqq. 7, 6 seqq. 10, 16 seqq. Num. 18, 9 seqq.[36]). Hinc quemadmodum אכל לחם pro victu universo et vitae sustentatione usitatum, ita אכל מצות 2. Regg. 23, 9 pro victu et stipendio sacerdotum usu venit. Quam sanctitatem unde traxerint azyma ambigas: sed hoc certe patet non a rudi aliqua priscorum et festinata panis parandi ratione, quam deserticolis Arabibus etiamnum usitatam ferunt, repetendam esse (quasi jejunum aut adamatum unquam fuisse, aut sacri notionem possit inferre!), siquidem condimento sane non carebant, sed sale utebantur pro fermento: sed hoc potius quaeri, quare sacris illud salis condimentum unum aptum et dignum visum fuerit, fermenti vero et mellis tam profanum ut vel capitali poena a sacris arceretur. Quod tum ex salis praestantia et usu in sacris et ritibus symbolicis antiquissimo, tum vero ex ipsius fermenti natura facile derivatur: quod cum ex putredine et corruptione ortum sit, hinc impuri et corrupti aliquam videtur referre speciem et inferre notionem; quemadmodum aliis etiam populis visum est, ut Romanis, quorum flamini diali fermentatum attingere nefas erat[37]).

---

36) Caeterae enim oblationes sacrae vel sacrificiorum portiones quae ipsis cedebant, sanctorum nomine venientes (קָדָשִׁים vel תְּרוּמוֹת הַקֳּדָשִׁים vel תְּרוּמוֹת) — ut pacificorum pectus et armus dexter, porro primitiae, primogenita, devota, decimae —, minus adstrictā religione sanctitae erant, ita ut ad universam sacerdotum familiam, filias etiam et servos, pertinerent, dummodo mundi essent vel ab immunditie lustrati, et in loco mundo (non sancto) iis fruerentur, exclusis tantum alienis, advenis vel mercenariis, Lev. 10, 14 seqq. 22, 2 seq. Num. 18, 11 seqq. (in quibus decimae Levitarum, quippe pro stipendio ipsis tributae, proventuum terrae instar habendae, quoniam „quovis loco“ comedi poterant ex Num. 18, 31, vel minore etiam religione aut nullā uti videntur). Vides igitur sanctitatis gradûs, azyma vero in summo constituta.

37) Teste *Gellio* noct. Att. X, 15. 19. Cujus usûs rationem exquirens *Plutarchus* quaest. Rom.

Jam vero cum in isto azymorum festo azyma ab universo populo comedi videamus, quaeritur quomodo cibus sanctus et sacerdotalis ad universos pertinere potuerit? Hoc non alio patet fieri potuisse pacto, quam ut universus fruentium coetus sacram vel sacerdotum susciperet personam et dignitatem. Quam quidem constat minime ab Israelitico populo fuisse alienam, sed jam inde ab ejus primordiis divinitus impositam ac velut innatam, circumcisione etiam significatam; multis illam modis et nominibus tam in lege quam a prophetis expressam et inculcatam. Ex quo vel solo colligas hunc azymorum ritum, eumque per sacrum septem dierum spatium continuatum, non alium esse posse nisi inaugurandi s. consecrandi ritum: quo quippe populus Israeliticus ad sacram quam sustinebat dignitatem quotannis denuo inauguraretur et sacris suis initiaretur; cui rei etiam tempus ritûs apte convenit inter ipsa anni initia constitutum. Quae ratio cum ad vera tantum populi membra pertineret, sic jam intelligitur quare ad ritum non omnes promiscue admitterentur, sed 1) mares tantum, 2) indigenae i. e. eādem de stirpe et gente oriundi, iique 3) circumcisi, et 4) mundi; exclusis feminis, peregrinis, servis (nisi circumcisi essent) et mercenariis, denique immunditie aliqua laborantibus[38]). — Haec autem ratio, quam ipsā re cognovimus suppeditatam, egregie confirmatur et illustratur alio hujus ritûs exemplo, quo ejusdem plane generis exhibetur institutum: ritu, inquam, sacerdotibus consecrandis et muneri suo inaugurandis solenni ex lege Exod. 29, 1—37 (observatā primum Lev. 8), tum aliis sacrificiis et caerimoniis, tum vero azymorum per septem dies continuos comestione conspicuo. Sed quoniam ille ad alterum etiam ejusdem generis institutum, Paschi ritum, maxime facit illustrandum, hunc jam accuratius expendere juvat.

Iste quidem Paschi ritus quoniam pluribus a caeterorum ratione recedit, omnium maxime est controversus. Hoc unum constat sacrificium eum esse, quo nomine frequentatum in V. T. diximus: sed quale sit sacrificium, cuinam sacrificiorum generi accensendus, et quemnam inter illa sibi locum vindicet, hoc non statim liquet. Inter recentiores plerique piaculare esse statuunt, scil. inter anni velut ex hieme renascentis primordia ad expianda praeteriti temporis peccata et avertenda placando numine futuri pericula, atque instaurandam quodammodo et regenerandam unà cum natura et anno hominis vitam oblatum[39]). Quod quantumvis placeat, Hebraeorum certe piacularium rationi minime est consentaneum: quippe quae nec cum naturae vel astrorum conversione ac vicissitudine ullam habeant rem, sed ad hominum tantum peccata pertineant, tum privatorum, tum universi populi (cujus quidem expiandis anniversarium etiam ritum

---

109 illam ipsam profert quam supra attulimus: ἡ ζυμη και γενονεν ἐκ φθορας αὐτη, και φθειρει το φυραμα μιγνυμενη ... και ὁλως ἐοικε σηψις η ζυμωσις. — Hinc pridem *Bochartus* Hieroz. I, 601 puri et sinceri panis notionem azymis vindicavit, Arabico etiam vocis etymo in hunc sensum allato. Quem recentiores fere secuti sunt; *Gesenio* tamen in thesaur. h. v. non temere dulcis notionem ex primaria sugendi derivante.

38) Quod etsi non in azymorum legibus, sed Paschi tantum Ex. 12, 43 seqq. et Num. 9, 6 seqq. habetur sancitum, tamen quoniam uterque ritus eodem collineabat, intimā societate conjunctus, utrique commune putandum est. Eaque lex illa ipsa est quam supra totidem fere verbis sacerdotibus eorumque domesticis in fruendis „sanctis“ et „sanctissimis“ observandam supra vidimus Lev. 22, 10 seqq.

39) *Baurius*, *Bohlenius*, *Ewaldus* al.; quorum tamen ratio non eadem, et ita fere diversa ut alteri ad naturae potissimum, caeterae antiquitatis exemplo, alteri ad humanae vitae rationes referendam censeant.

constat institutum fuisse, „diem expiationis“, plane a nostro diversum); nec, quod maximum, carnis hostiarum ullum offerentibus permittat usum, solis sacerdotibus concessum, sin ad universum populum pertineant, his ipsis prohibitum. Istius vero sacrificii carnes quoniam ad offerentem pertinent unà cum suis communi coenâ comedendae, ad pacificorum (שְׁלָמִים) potius genus referendum esse manifesto apparet[40]). Sed ab hujus tamen etiam ratione eò recedit quòd nullae plane in eo sunt sacerdotum partes, sed a quoque patrefamilias, tanquam sacerdotis partes sustinente, totum et peragitur et cum suis comeditur; nec adipe combusto, nec carnis aliqua parte sacerdotibus cessa, sanguine tantum domûs postibus asperso, quemadmodum in caeteris altari. Unde vero hoc repetendum? Dicas sane ex antiquo (antemosaico) jure, quo suae quisque familiae et pater et sacerdos erat, superstes esse sacrum domesticum: sed quomodo cum hoc Mosaico sacrorum ordine conveniat, quamque vim ac rationem habeat, sic vix perspicias. Ecce egregium ejusdem medi ritûs exemplum, quod hucusque a criticis neglectum miror. Est ritus supra allatus consecrandis sacerdotibus unà cum sacrario institutus Exod. cap. 29, 1—36 coll. 40, 1—16. Lev. 8., qui post oblata alia sacrificia, piaculare et holocaustum, arieto inaugurationis (אֵיל מִלֻּאִים), cum azymorum canistra, potissimum conficitur. Cujus ubi sanguis sacerdotum tum dextri lateris quibusdam partibus prominentibus (auriculae et manuum pedumque pollici) illitus[41]), tum vestibus unà cum oleo unctionis aspersus est, adipes vero Deo cremati, carnes unà cum azymis a sacerdotibus per septem dies continuos sacrario assiduis comedebantur; per idem autem tempus et altare singulis diebus oblato piaculari expiandum et sacrarium ipsum cum vasis suis unctione consecrabantur[42]). Nec absimilis Naziraeorum post impletum voti tempus inaugurandorum ritus, ubi post caetera sacrificia idem aries cum azymorum canistra conspicitur (nisi quod armus cum azymis sacerdoti ministranti cedebat) Num. 6, 13 seqq. Quem inaugurationis arietem ad שלמים genus pertinere, tum ex lege Ex. 29, 28 (coll. Lev. 7, 30 seqq. 35. 10, 14 seqq.), qua horum portiones sacerdotibus concessae (crus dextrum et pectus) ab illo derivantur, tum vero ex illius qui Naziraeis inaugurandis adhibetur, שלמים appellati Num. 6, 14. 17, patet exemplo; et ad eucharistici (תודה) quidem speciem, quoniam si quid carnis vel panis ad mane relictum esset comburendum erat Ex. 29, 34, quod eucharistico proprium (v. supra not. 12). Jam vide quam apte hic inaugurationis ritus cum nostro Paschi et azymorum conveniat: 1) eadem fere hostia ovilli generis mascula s. aries (nisi quod Pascho definitur aetas unius anni); 2) sacrificium fere totum comestum (nam quod pectus arietis inauguralis inauguranti Mosi cederet, re ipsa non differt); 3) cum hostiae conjunctus azymorum esus, isque 4) per septem dies continuatus; 5) quicquid eorum quo-

40) Quod *Bährium* jam video apposite monuisse Symbol. II, 640 seqq.

41) Idem leprosis post sanationem purgandis et inaugurandis factum videmus Lev. 14, 14 seqq.

42) Altaris quidem expiatio per septem dies continuata Ex. 29, 39 seqq. tantum habetur (nisi quod Lev. 8, 15 in piacularis hostiae ritu describendo de expiando et sacrando altari quaedam addita inveniuntur). In caeteris locis Ex. 40, 9—11 et Lev. 8, 10 seq. (coll. Ex. 30, 26 seqq.) unctio tantum altaris, quemadmodum caeterarum sacrarii partium, commemoratur. In priore autem loco Ex. 40, 1 seqq. hoc quoque discrepare videtur quod primo anni die omnia illa peragenda mandantur, septem dierum nulla fiat mentio. Et sane est quod hos cap. 29 quoque et Lev. 8 non ad sacrificia et expiationis ritum, sed ad vestitum sacrum tantum et azyma pertinere statuas, quibus solis inaugurationis actus continuaretur.

que die non comestum relictum esset, mane comburendum (ut in caeteris eucharisticis); 6) sanguis sacrificii utriusque aspersus: illîc inaugurandis (expiandis) et sacerdotibus et sacrarii partibus, hîc domûs postibus.

Ex his jam definiri potest quale sit tum sacrificium paschale, tum azymorum festum. Illud enim patet generatim quidem eucharisticis (תורה) accensendum esse (qualia festis solennia, ab offerentibus ipsis comesta); speciatim vero consecrationis s. inaugurationis esse: inaugurando quippe coetui Israelitarum pro singulis ejus familiis ad populi sacri et sacerdotalis sanctitatem quotannis, ineunte quidem anno, inserviens, septemdiali vero azymorum esu continuatum et completum. In quo ritu sanguis postibus et superliminari domûs aspersus, ex universa sanguinis tam personis quam rebus sacris (altari potissimum) aspersi ratione (cf. Ex. 29, 20. 36. Lev. 4, 6 seqq. 17 seqq. 8, 15. 30. 14, 14. 16, 14 seqq.), non minus sane ad domûs pertinere potest expiationem et consecrationem annuam, quam qui ll. cc. altari et sacrario universo aspergitur expiando, praesertim annuo illo expiationis ritu qui septimo mense peragitur Lev. cap. 16 descriptus. Quem inaugurandi sacrarii ritum Ex. 40, 1. 17 vel ipso anni initio (primo mensis primi die) peractum videmus; apud Hezekielem vero inaugurando novo quod sibi finxit sacrario sanguinem non altaris solum cornibus sed et aedis ac portae atrii postibus expiandis a primo anni die per septem dies aspersum 45, 18 seqq. coll. 43, 18 seqq.[43]); quod tum a prima illa inauguratione Ex. 40, 1, tum a Paschi ritu desumtum esse videtur. Sic igitur expiatorii etiam aliquid inesse videtur sacrificio (quod sane a nullo sacrificiorum genere aberat), et mixta quodammodo ratio ex eucharistica et expiatoria.

Jam caetera etiam quae ritus singularia sibi vindicat, ratione sua apparent. Primum quod non admittuntur nisi circumcisi Ex. 12, 43 seqq., iique mundi Num. 9, 5. seqq., scilicet sacerdotali sanctitate et munditie praediti, qualis requiritur ab iis qui sacri (nimirum sacrificii et azymorum) participes esse velint (v. supra p. 22); rursus vero horum nemini omittendus sit, sed universo populi coetui celebrandus. Quod capite quidem sancitum Ex. 12, 19. Num. 9, 14; eodem sane jure quo circumcisio ipsa capite sancita est Gen. 17, 14. Haec enim quoniam sanctitatis et „foederis“ cum Deo pacti i. e. gratiae divinae et communionis cum Deo signum instituta erat Gen. 17, 10 seqq., ritus vero paschalis servati illius foederis et continuatae cum Deo communionis signum et pignus vel testificatio habendus: horum neutrum patet quemquam detrectare posse quin, rupto palam et quasi renunciato foedere, exterminandum ex sacra communitate se sisteret; quae cum non privata esset sed publica universi populi et externa, morte illud fieri necesse erat. Ex qua communitatis sanctae ratione hoc etiam derivandum quod vel servi aliique terrae incolae circumcisione facta ad hunc ritum admittendi erant. Quin etiam obstricti ei fuisse videntur[44]): quippe qui cum ad universum populum singulasque

43) Ad בְּשִׁבְעָה בַחֹדֶשׁ 45, 20 enim supplendum esse יָמִים patet ex 43, 25 seqq.

44) Quamquam enim lege Ex. 12, 43. 45. 48 fin. peregrini absolute interdici videntur, et וְעָשָׂה פ׳ v. 48 hypothetice accipiendum, ita ut circumcisio et ad ritum admissio horum arbitrio permissa sit: tamen quod v. 49 Num. 9, 14 pronunciatur: „eadem lege teneri et indigenam et peregrinum“, si conferas cum Ex. 12, 19 „quicunque fermentatum comederit exscindendum esse ex coetu Isr. sive peregrinus sit sive indigena“, intelligas absolute et generatim dictum esse. Ita illud ועשה פ׳ pro apodosi accipiendum erit: „is faciat Paschum“, quemadmodum Num. 9, 12. 14, usu frequentissimo. Idem de caeteris etiam ritibus et institutis capite sancitis injunctum videmus.

ejus domos, ipsamque adeo terram pertineret expiandam et sacrandam, nemini ab eo immunem et quodammodo profanum esse vel profana agere licebat. — Deinde quod non fractis ossibus (h. e. frustatim) sed integrum assandum, nec domo quicquam efferendum, sed in eadem domo et eodem die, ac totum comedendum est. Haec omnia enim ex principio illo duplici fluunt: primum, sacra non peragenda vel comedenda esse nisi sancto et tempore et loco (non profano): sanctus enim locus est hôc die domus sanguine sacrificii expiata et sacrata; ac quemadmodum sacerdotibus inaugurandis per totum illud tempus ad sacrarium manendi nec unquam discedendi religio erat (Lev. 8, 33. 35), ita per hunc ritum nemini domo exire licebat (Ex. 12, 22). Alterum, sacra nonnisi ad sacros usûs et personas pertinere, nec eorum quicquam profanis cedendum esse: quare hoc sacrificium, ut integrum assandum, ita totum, nullis partibus relictis, comedendum est[45]) (quemadmodum alia integra Deo comburenda sunt). Accedit etiam communis coenae notio, communionis hominum sacrae symbolum[46]).

En praeclarum ritum, quo nescio an ullus in universa antiquitate vel in ipso Mosaismo inveniatur aut ad admonendum hominem de dignitate sua gravior, aut ad alendam cum Deo communionem efficacior, ac verae utique festorum rationi et fini accomodatior; qui cum priscam antiquitatis simplicitatem formā suā referat, magis et in ipsa Mosaismi penetralia ac mysteria introducat, quibus quodammodo initiandos spectat Israelitas, et ad Christianismi propius evehat fastigium. En pulcerrima mysteriorum nostrorum exempla: circumcisio quidem baptismatis, scilicet signum gratiae divinae et foederis cum Deo pacti, quo ad sanctitatem populi sacri vocamur; Paschalis vero agnus et ritus, continuatae quippe gratiae divinae et servati foederis cum Deo signum et pignus, quo sacra et cum Deo et cum caeteris populi sacri membris communio usque renovatur et alitur, coenae Christi sacrae typus aptissimus! qua Christus, agnus Pasch. factus (1 Cor. 5), sui ipsius sacrificium suis communicat servis.

45) Verba רֹאשׁוֹ עַל כְּרָעָיו וְעַל קִרְבּוֹ Ex. 12, 9 sane ita collocata sunt ut ad parandi et assandi quidem modum pertinere videantur. Sed comedendi objecta significari, et ita quidem ut ne hae quidem partes excipiantur, suadet exemplum ejusdem formulae Lev. 4, 11 de piaculari integro comburendo usurpatae.

46) In aliis non argutandum nimis aut symbolis inhiandum censeo. Velut quod non coquendum (ut caetera sacrificia solent apud Hebraeos), sed assandum igne praecipitur Ex. 12, 9, quoniam haec simplicissima est et optima carnis parandae ratio, sane ab antiquiore sacrificiorum ritu repetas: sed sufficit tamen quod vix aliā ratione integrum parari posse videtur. Quod autem cum lactucis vescendum est (ib. v. 8), in his nihil aliud video quam opsonium suetum assatis nostro etiam more additum; amari quidem vel acerbi memoriam, cum instituti ratione vix conciliandam, quam ex Deuteronomii (16, 3) illo לֶחֶם עֹנִי satis intempestivo expiscant, hujus certe auctoritate tueri non licet.

Quod Num. 9, 7. 13 sacrific. nostrum dicitur הִקְרִיב קָרְבַּן יְהוָה בְּמוֹעֲדוֹ — formula quidem latius patens, sacrificiis praesertim festo cuique solennibus usitata, ut Num. 28, 2 —, idque omissum capite sancitur, quasi sic Deus jure suo fraudetur: hoc nescio an ab aliis potius sacrificiis desumtum sit (cf. לַחְמִי Num. 28, 2. Lev. 21, 6), ab hoc satis alienum.

SACRA CHRISTI PASCHALIA

PIE CELEBRANDA

CIVIBUS INDICIT

ACADEMIAE FRIDERICIAE HALIS CONSOCIATAE

PRORECTOR CUM SENATU.

INEST

HERMANNI HUPFELDI
PHILOS. ET THEOL. D. HUJUSQUE P. P. O.

COMMENTATIO

DE PRIMITIVA ET VERA FESTORUM APUD HEBRAEOS RATIONE EX LEGUM MOSAICARUM VARIETATE ERUENDA.

PARTICULA II. DE FESTORUM ORBE IN CAETERIS PENTATEUCHI LIBRIS OBVIO.

HALIS SAXONUM.
TYPIS GEBAUERIIS-SCHWETSCHKEANIS.
MDCCCLII.

B. De festorum et feriarum ordine in caeteris Pentateuchi libris obvio.

In caeteris Pentateuchi libris jam universum festorum caeterorumque dierum sacrorum agmen comprehenditur, ubi temporibus suis ac ritibus accuratius definita et per anni orbem aequabili ordine disposita, passim etiam aucta et reficta apparent. Qui ordo et orbis ad numeri septenarii fere normam exactus cernitur, a septimi quidem diei religione (Sabbatho) per gradûs ad septimanarum, mensium, denique annorum, quin septenniorum hebdomadem et sabbathum evecti[1]). In quibus tamen Levitici et Numerorum libri distinguendi a Deuteronomio.

I. Leges in Levitico et Numeris.

Ibi duplex exstat de diebus sacris edictum divinum, quibus amplissimus festorum recensus et ordo exhibetur. Quorum alterum *Lev.* cap. 23 dies ipsos praesertim vel tempora sacra (nonnullorum etiam additis quibusdam ritibus) recenset; alterum *Num.* capp. 28 et 29 sacrificia in quoque offerenda definit eodem ordine.

1. *Lev.* cap. 23.

Hoc quid potissimum spectet ipso innuit exordio v. 2: „*loquere ad filios Israelis et dic eis tempora stata coetibus Jhvi* (מוֹעֲדֵי יהוה), *quos convocabitis convocationes* (conciones) *sacras* (אֲשֶׁר תִּקְרְאוּ אֹתָם מִקְרָאֵי קֹדֶשׁ)"; et v. 4: „*haec sunt tempora stata coetibus Jhvi, convocationes sacrae quas convocabitis tempore suo stato* (במוֹעֲדָם)". Ubi vocabulum מוֹעֵד in formula מועדי יהוה, quippe quae explanetur subjunctā מקראי קדש et אשר תקראו אתם במועדם, utrumque cernitur comprehendere quod ad festum pertinere constat: et concionem sacram et statum

1) De septenarii numeri virtute et religione, quam universae antiquitati communem videmus, a lunae conversionibus sine dubio repetendam, multi sunt veteres scriptores, tum Graeci et Romani, quorum etiam libri de eo singulares feruntur, tum prae caeteris *Philo* libello περὶ ἑβδομης, ubi festa Hebr. ad illius normam exposuit. Quorum locos v. apud *Baurium* in diss. „*d. hebr. Sabbath u. d. Nationalfeste des mos. Cultus*" l. c. p. 128—139. Quaedam etiam apud *Spencerum de legg. Hebr. ritt.* I. cap. 6. p. 212. ed. Lips.

huic tempus (quod in apposito במועדם solum habetur). Tertium accedit in clausula vv. 37. 38, ubi repetitae pro more exordii formulae s. inscriptioni finis festorum adjicitur: „*ad offerenda sacrificia Jhvo* (אִשֶּׁה ליהוה) — *holocaustum et fertum* etc. — *pro uniuscujusque diei ritu* (דבר יום ביומו); *praeter sabbatha Jhvi, et praeter dona vestra, et praeter omnia vota vestra et praeter omnia voluntaria vestra munera quae dabitis Jhvo*“ (h. e. quae vel ex voto vel sponte offeretis). Quae ratio alibi etiam subjicitur festis, ut in simili clausula legi de festorum sacrificiis subjuncta Num. 29, 39 et in ejusdem exordio 28, 2; quin Pascho etiam Num. 9, 7. 13 (cf. Part. I. p. 26. not. 46). Quò pertinet illud quod antiquissimae de festis legi additum vidimus: „*neque vacui appareant coram facie mea*“ Ex. 23, 15. Ut jam tria illa quae in universa antiquitate ad festorum notionem requiri diximus, in illa lege re potius quam verbis significata (Part. I. p. 4 seq.), in hujus tam exordio quam clausula aperte habeamus expressa. Atque in his fere lex ipsa etiam versatur. Exhibet enim 1) tempus cuique statum, 2) conciones sacras et ferias quibus quodque distinctum est; denique 3) oblationibus perpetuis celebranda inculcat. Ad formam quod attinet, quoniam conspectum anni feriarum temporis ordine exhibet dispositum, ad temporis rationes omnia revocantur, ita ut 1) mensem et diem definiat in quem quaeque cadant — quorum numero singula praecepta constanter incipiunt, ut v. 5. 6. 24. 27. 34. 39 —; 2) quibus diebus concio sacra cum operis intermissione habenda sit; 3) per quot dies ritus cum sacrificiorum oblatione sit continuandus. Uno verbo est calendarium dierum festorum et feriatorum, qualia apud caeteros etiam populos inveniuntur. Caetera nota sumuntur: tam ritûs, quam quaenam sacrificia offerenda sint (quae quidem alio loco, ut dixi, definita habentur Num. capp. 28. 29); exceptis tamen quibusdam locis qui ratione discrepantes et alieni generis statim deprehenduntur.

Jam ad singula venientes et rationem isti cum prioribus intercedentem dispicientes

1. prima illa anni sacra azymorum et Paschi, quae in Exodi legibus, quamvis eidem et memoriae et tempori tributa, seorsim tamen exhibita aut certe non expressā et planā ratione conjuncta sunt, jam h. l. vv. 5—8 videmus consociata et in unum quodammodo festum, duplici tamen ritu distinctum, copulata; temporis autem ratione ita disposita ut, cum Ex. 12, 6. 18 utrumque promiscue a decimi quarti vesperā duceretur, h. l. Paschi quidem ritus decimi quarti vesperae tribuatur, azymorum vero festum a decimo quinto ducatur per septem dies continuandum. Quod ut aliquanto differat ab Exodi lege: tamen quae illic habentur non satis distincta et plana — computatio praesertim septem dierum a 14to ad 21^{mum} ambigua (Ex. 12, 18) —, sic non temere videntur ita definita et explanata, ut initium fiat ritu Paschali, a 14to vesperā (i. e. fine) per eam noctem celebrando, a 15to vero diluculo azymorum festum putetur; quo pacto certe septem dierum numerus cum ratione illa apte cernitur conciliatus. Itaque Paschi ritus praevius quidem

auspicando et praeparando festo, azymorum vero consummando per septem dies sequentes servire intelligatur[2]). Diês concionibus sacris et operum cessatione distinctos definit ex lege Ex. 12, 16 primum et septimum. Addit tantum sacrificiorum oblationem per septem dies continuandam, de qua ibi nihil praeceptum.

2. Jam ad sequentia (v. 9 seqq.) progredientes, dum alterum quod in antiquissimo festorum ordine Ex. 23, 16 habetur „*festum messis*“ vel „*primitiarum*“ definitum iri exspectamus, nova plane occurrunt non opinantibus. Habetur enim ibi primitiarum quidem oblatio, sed duplex. Primum, ubi „messis demetitur“, manipulus (עֹמֶר) tanquam messis primitiae (ראשית קצירכם, praemetium Romanis vocatur) ad sacerdotem deferendus, qui „*postridie Sabbathi*“ elevet coram Jhvo (הניף לפני יהוה) i. e. Deo offerat, unà cum agni integri anniculi holocausto ejusque ferto et libamine; ante quam oblationem nec panem nec grana tosta aut molam (קלי וכרמל) comedere fas est (quae recentis messis esse intelliguntur). — Deinde numeratis ab hoc die septem sabbathis postridie sabbathi septimi, qui quinquagesimus est, offerendum recens fertum (מנחה חדשה ליהוה), nimirum duo panes fermentati, ex duobus decimis similae (סֹלֶת) coeti, tanquam primitiae Jhvo sacrae (בכורים ליהוה), eodem elevationis (תנופה) ritu oblati, hinc „*panes elevationis*“ (לחם תנופה v. 17. 20, quemadmodum manipulus ille עמר תנופה v. 15) dicti. Unà vero cum pane offerenda sacrificia aucta: septem agni integri anniculi, juvencus unus, arietes duo pro holocausto, cum fertis et libamentis suis; porro hircus pro piaculari; denique duo agni pro pacifico, qui quidem cum primitiarum panibus elevationis ritu Jhvo offerendi sacerdoti cedunt, „*sancti*“ (קדש) nomine[3]). Isque dies concione sacra et operis cessatione celebrandus, qua prior ille manipuli offerendi caret. Festi autem nomen aut mentio ulla abest.

---

2) Ut illud sit fere quod Judaei posteriores appellarunt παρασκευη, Graeci προαγων s. προτελης (θυσια), προτελεια, festi et solennitatis cujusque quasi prooemium s. introitus; hoc festum ipsum s. festi consummatio i. q. Graecis παντελεια. Cf. *C. Fr. Hermanni gottesdienstl. Alterthümer der Griechen* §. 46. not. 10. 11.

3) Hos enim panes ad pacificum agnorum sacrificium pertinere (non ad holocaustum, cui suum jam additum habetur fertum cum libaminibus v. 18), expressum est v. 20 verbis agnorum commemorationi subjunctis: „*et elevet sacerdos eos* (agnos) *unà cum pane primitiarum* (על לחם הב׳) *elevatione coram Jhvo*“; quibus si additur על שני כבשים, hoc sane anacoluthice patet dictum, scil. quasi praecesserit לחם ה׳ pro אתם על ל׳ (cujus simile occurrit etiam 7, 13). Neque temere sed consilio et certa ratione, opinor, sacrificia ista dicuntur „*ad panem*“ (על הלחם) offerenda, h. e. panibus addenda v. 18. 20 (quemadmodum fere arietis sacrif. pacif. a Naziraeo oblatum Num. 6, 17 „על סל המצות“): non panes ad sacrificia, ut solent ferta. Nam h. l. oblationis summa panibus istis continetur, quibus caetera sacrificia tanquam auctarium tantum accesserunt addita: primum שלמים, deinde holocaustum, quod et ipsum על הלחם v. 18 dicitur oblatum; quibus denique piaculare adjungitur, ratione universis festis communi. — Quae oblatio quamvis מִנְחָה חדשה ליהוה,

Haec satis mira et a caeteris discrepantia. Primum hoc mirum offendit quod lex post exordium, quod caeteris etiam festis usque praemissum cernitur „*et locutus estJhvh ad Mosem*“ etc., novum addat introitum: „*si veneritis in terram quam vobis dabo et metetis messem ejus*“, quod alibi sane satis frequentatum (ut 25, 2. 14, 34. Ex. 12, 25. Num. 15, 2. 18 etc.), ab hujus capitis ratione abhorret. Deinde quod tempus primitiarum manipulo offerendo definiatur „*postridie sabbathi*“ (מִמָּחֳרַת הַשַּׁבָּת), cujus nulla praecessit mentio. Quodnam est istud *sabbathum*? Statuerunt quidem interpretes — idque usu etiam tam Judaeorum quam Christianorum receptum — idem illud esse quod v. 7 primo azymorum die celebrandum praecipitur: ut „postridie“ ejus intelligatur esse 16to mensis die. Sed temere prorsus: eodem enim et majori jure alterum septimi diei sabbathum intelligendum statuas. Quod vel necesse esse videtur: quandoquidem si primum statuitur, et messis in festi tempus incidet, et recentis frumenti aut panis usus, v. 14 ante ejus diei oblationem prohibitus, ergo ab hac inde concessus, pugnat cum azymorum lege, qua ex frugibus nihil cibi nisi azyma comedi fas est[4]). Sed nec hoc liquet: siquidem „sabbathi“ (שבת) vocabulum de festi diebus concione sacrā et operis intermissione distinctis hoc capite non solitum (nisi forte v. 39 ubi שבתון). Quare hoc „sabbathum“ non ex praecedenti loco sed ex ipsa potius re definiendum videtur, scil. primarum spicarum oblatione. Quae cum in ipsum messis initium incidisse putanda sit[5]): sabbathum illud pridie ejus diei actum messem praeivisse et quasi praelusisse patet. Quo vero anni tempore et puncto haec ponenda sit, hoc aliunde erit repetendum. — Accedunt alia ab hujus capitis ratione discrepantia. Primum forma loci prorsus abhorrens, multo quippe caeteris copiosior, additis praesertim praeceptis de oblationum et sacrificiorum genere et ritu observando quae ab hoc capite absunt (scil. Num. capp. 28. 29 reservata). Eaque argumento etiam ipso ab iis quae

---

vocatur, tamen eam non Mincham esse propriam, qualis definitur Lev. 2 — sive sola oblata sit sive aliis sacrificiis addita —, neque de jugis forte Minchah cogitandum, hoc die primum de recenti farina oblatā, vel eo certum est quod fermentati coquendi sunt v. 17; deinde quod v. 20 sacerdoti (scil. qui elevavit Jhvo) cedunt, quemadmodum omnis תנופה (et תרומה), quae Deo quidem sacra (קדש), non crematur tamen in altari, sed offertur tantum et sacerdoti integra cedit Lev. 6. 7. Num. 15, 20. 18, 8 seqq. Cujusmodi est etiam manipulus ille primitiarum v. 10 seq., et ipse עמר התנופה v. 15 dictus; item duo agni שלמים cum panibus elevati v. 20 (ubi קדש יהיו utrumque comprehendere intelligitur, et panes et agnos). In quo sane fermentati oblatio vix uno utitur exemplo Lev. 7, 13 (et dubio quidem), agni integri sacerdoti cedendi nullo.

4) Hoc *Hitzigius* tuetur, multis quaestionem amplexus epistolā utrāque „*Ostern u. Pfingsten*“ inscriptā I, 7 seqq. II, 10 seqq.

5) Quod confirmatur etiam hujus loci explanatione quae exstat *Deut.* 16, 9, ubi pro eo quod h. l. est „*postridie Sabbathi*“ dicitur „*ab eo die quo falcem immiseris segeti*“, scil. a quo septem hebdomades putentur ad „festum septimanarum.“

Num. 28, 27—30 habentur, caeteris consentanea, magnopere differunt. Prima quidem manipuli oblatio cum sacrificiis suis vv. 10—13 et a superioribus Exodi legibus, et a Num. etiam capite citato omnino abest. Altera autem quae duobus panibus continetur, מנחה חדשה et בכורים dictis, eadem sine dubio quae Ex. 23, 16 „*festo messis s. primitiarum*“ significatur, in Num. l. c. habetur quidem — ét eodem etiam nomine מנחה חדשה, pro festo tamen *dies primitiarum* (יום הבכורים) dictus —: sed sacrificia ibi oblationi adjuncta prorsus ab his diversa sunt, non numero tantum hostiarum, sed sacrificiorum etiam genere. Nam cum illìc praeter septem agnos — totidem ut h. l. — duo juvenci et unus aries pro holocausto unà cum hirco piaculari — constanti universis festis ratione — praecipiantur: h. l. unus habetur juvencus et duo arietes, praeter holocaustum vero et piaculare pacificum etiam duorum agnorum additum, quod et ab illius festi et ab universo festorum ritu Num. capp. 28. 29. tradito abhorret. Accedit quod fertum v. 13 agno primae oblationis holocausto additum duabus constat similae decimis, cum alibi ferta agnis adjuncta semper singulis tantum similae decimis efficiantur. Hoc igitur ad diversam ab illa oblationum et sacrificiorum rationem pertinere patet. — Denique in fine v. 22. subjuncta cernitur lex de agris non ad angulum (extrema) usque demetendis et spicilegio messis pauperibus relinquendo (ex cap. 19, 9. 10 contracta), ab hoc loco prorsus aliena[6]). — Ex quibus omnibus apparet istum de primitiis offerendis locum qui vv. 9—22 continetur, totum ab hoc festorum ordine tam formā quam argumento alienissimum, aliunde petitum et huc translatum esse. Unde vero repetendus sit, deinceps disquirendum erit.

3. Jam vv. 28 seqq. septimus venit mensis, triplici ille quidem solennitate conspicuus.

a. Primum vv. 23—25 primus hujus mensis dies s. noviluniun Sabbatho (שַׁבָּתוֹן i. q. שַׁבָּת cf. v. 1. 32. 16, 31. Ex. 31, 15. 35, 2 etc.) i. e. operis cessatione et concione sacra, praeterea autem tubarum clangore (תְּרוּעָה) distinctus; unde *dies clangoris* (יום תרועה) dictus Num. 29, 1[7]). Qui clangor cum dicatur h. l. זִכְרוֹן תרועה h. a. *memoriae* causa institutus, hoc ex lege de tubarum usu Num. 10, 1 seqq. repetendum videtur: ubi v. 10 Israelitae jubentur in festis et noviluniis ad sacrificia sua holocausta et pacifica clangere tubis[8]), ut „ipsis memoriae sint apud Deum“

6) Haec mihi proprio Marte observata jam video pleraque dudum occupata esse a *Georgio* libr. cit. *die Jüdischen Feste* p. 123—128.

7) Quò facit etiam illud Psalm. 81, 4: „*inflate tubam novilunio, et plenilunio die festi nostri*“. Ubi cum „*festum nostrum*“ ad tabernaculorum festum referendum sit (quod infra patebit), hoc septimi mensis novilunium intelligendum esse constat.

8) Quemadmodum fere apud Graecos tibiis accinere solebant sacrificiis, v. *C. Fr. Hermanni gottesd. Alterthh. d. Griechen* §. 36 not. 16.

(לזכרון לפני יהוה); quemadmodum v. 9 in praeliorum angustiis idem si fecerint dicitur fore ut Deus „eorum recordetur“ i. e. opem ferat. Ex quo loco patet ritum caeteris quoque noviluniis et festis fuisse solennem. Quibus proinde hoc septimum aucto potius clangore eminuisse putandum est; praeterea sabbathi sanctitate et peculiaribus sacrificiis ab illis distinctum.

b. Deinde vv. 26—32 decimo mensis die (et a noni quidem vespera inde celebrandus, ut est v. 31) *dies expiationis* (יום הַכִּפֻּרִים), ad expiandum populum a delictis per annum commissis institutus, sabbatho non solum (שבת שבתון i. q. שבת cf. v. 3) s. concione sacra et operis intermissione, sed jejunio etiam sanctus; quae omnia propter eximiam ritûs religionem capite sancita. Expiationis ipsius ritus habetur cap. 16.

c. Denique vv. 33—36 a decimo quinto inde mensis die *„tabernaculorum festum“* (חג הַסֻּכּוֹת), pari cum azymorum religione per septem dies continuandum, nisi quod octavus pro septimo sabbathali ritu sanctus esset, עֲצֶרֶת dictus a concione sacra, et sacrificiorum numero (Num. 29, 12 seqq. definito) caeteris multo excelleret, omnium magnificentissimum.

Sed post clausulam vv. 37. 38 huic festorum tabulae additam aliud inopinantibus supervenit vv. 39—44 de supremo illo tabernaculorum festo Jhvi edictum, quasi nihil de hoc dixerit jam denuo praecipiens; non tamen solito caeteris exordio *„et locutus est Jhvh“* etc., sed particulâ אַךְ exorsum, quae dictum corrigentis vel definientis est. Sic autem habet: *verum 15to septimi mensis die, cum intuleritiis proventum terrae, festum Jhvi celebrabitis* (תחגו את־חג־יהוה) *septem diebus: primo die Sabbathum* (שבתון) *et octavo die sabbathum“*. Tum vv. 40—42 ritûs festi pluribus adumbrantur plane incogniti hucusque et novi: *„sumetisque vobis primo die fructûs arborum decorarum* (עץ הָדָר) *et ramos palmarum et densae frondis arborum* (עֲנַף עץ־עָבֹת) *et salicum torrentis, et laetabimini coram Jhvo deo vestro* (i. e. laetâ festivitate agetis) *septem diebus;* 41 *et celebrabitis eum festum Jhvo septem diebus per annum; ritu perpetuo generationibus vestris in mense septimo celebrabitis eum.* 42 *in umbraculis* (בַּסֻּכּוֹת i. e. casis ex frondibus ramisque consertis) *habitabitis septem diebus, omnes indigenae in Israele habitabunt in umbraculis“*. Causa etiam festi adjecta v. 43: *„ut sciant generationes vestrae* (posteri) *quod in umbraculis habitare fecerim filios Israelis cum educerem eos e terra Aegypti: ego Jhvh deus vester“*. Denique clausula iterata v. 44: *„et locutus est Moses festa Jhvi* (מועדי יהוה) *ad filios Israelis“*.

Istam quidem appendicem ab ipso textu alienam esse et additiciam, primo obtutu patet; id tantum ambigas utrum pro glossâ habenda sit ad explanandum festi nomen et afferendos simul ritûs additâ, an aliunde (h. e. ex alio festorum ordine) huc translata. Et hoc mihi pluribus argumentis probatur. Nam si glossa esset, sane nec hoc loco, post totius capitis clausulam, intempestive addidisset auctor, nec totum

fere legis ipsius argumentum temere repetiisset v. 39. Particula autem אַךְ, quā infit, quae sane definientis est, quoniam iis praemissa est quae in superioribus jam habentur, plane post illa superflua, his certe definiendis et explanandis inservire non putanda est. Deinde quod tempori festi additur „*cum intuleritis proventum terrae*“ (באספכם את תבואת הארץ), ad antiquum illud potius festi nomen quod Exod. 23, 16 habetur חג האסיף, et quod ei adjectum est באספך את־מעשיך etc. (coll. v. 12, in lege anni sabbathici, ubi est אסף תבואת הארץ, plane ut h. l.) pertinere videtur quam ad nostri capitis nomen חג הסכות, h. l. non obvium; pro quo suppresso nomine identidem nihil aliud habetur quam תחגו את חג־יהוה v. 39 et חגתם אתו חג ליהוה v. 41; additis verbis שבעת ימים בשנה „*septem diebus per annum*“: quasi hoc unum tantum exstet sine nomine festum. Idem etiam suadet clausula v. 44 adjecta, quae ejusmodi est ut mandati quidem divini verbis v. 2 דבר אל־בני י׳ respondeat (perinde fere ut 21, 24), sed cum illa qua vv. 37. 38 caput nostrum finitur אֵלֶּה מ׳ etc. constare non possit. Jam si dicendi genus h. l. copiosum et iterationum plenum ejusque formulas attendas, facile idem agnosces quod in loco de primitiis offerendis vv. 9—22 interpolato deprehenditur: scil. Elohisticum illud, in Gen. c. 9. 17 et legibus de Pascho et azymis Exod. 12 al. usitatum. Verum idem etiam conspicitur in loco de die expiationis vv. 26—32, qui et ipse caeteris est copiosior, non tam rebus quam verbis et dicendi genere ab illorum brevitate satis alieno, nec non de sabbatho quodammodo, qui et ipse interpolatus[9]) videtur. Ubi hae praesertim formulae: חקת עולם לדרתיכם בכל־מושבותיכם v. 3. 14. 21. 31, בעצם היום הזה v. 14. 21. 28. seqq., ונכרתה הנפש ההיא v. 29., שבתון s. שבת ש׳ de die sancto et feriato v. 3. 24. 32. 39, אני יהוה אלהיכם v. 21. 43 (cf. לפני יהוה א׳ v. 28. 40), אַךְ initio diei numero praemissum v. 27 et 39, denique Deus primā personā loquens v. 10. 22. 30. 43.

Hae igitur capitis partes — de sabbatho v. 3, de primitiarum oblatione vv. 9—22, de die expiationis v. 26—32, de umbraculorum ritu v. 39—43 cum clausula v. 44 — quoniam tam a caeterarum ratione et passim etiam nexu discrepare, quam inter se convenire intelliguntur: quaeritur quò fere referendae sint, et cuinam capiti s. ordini deputandae?

Ecce egregiam illius loci qui est de primitiarum oblatione vv. 9—22, cum lege de anno sabbathico et jobileo cap. 25 convenientiam! Non idem solum introitus כי תבאו אל־הארץ אשר אני נתן לכם h. l. v. 10 ut 25, 2, sed — quod maximum — eadem prioris gradûs cum sequente necessitudo, eademque in altero gradu septem sabbathorum et numeri quinquaginta computatio: h. l. dierum, illo annorum;

9) Inter media enim exordia v. 1. 2 et v. 4 insertus horum nexum interrumpit, et tam formā quam argumento a caeteris quodammodo recedit, quippe qui nec a tempore stato incipiat, nec sacrificiorum faciat mentionem.

eādem etiam formulā cum primo gradu connexa: וספרתם לכם v. 15 et וספרת לך 25, 8. Utrumque enim institutum antiquo ritu septenarii numeri ratione et sanctitate continetur, per quatuor gradûs continuos ad aliud alio altius fastigium evecti: a dierum quidem heptade ad septimanarum, dehinc annorum, denique septenniorum progressi. Eaque septenarii temporis sanctitas eādem etiam internā continetur ratione, siquidem ad agriculturam utrinque pertinet consecrandam; unde derivandum etiam videtur quod in fine v. 22 injunctum est circa messem erga pauperes officium, quod a festorum quidem ordine alienissimum, ad rei agrariae certe religionem pertinere intelligitur. Utroque enim instituto sacrandi agri continetur ritus, quo quippe terra sancta (i. e. Dei propria) quasi cultum et ministerium suum, h. e. sanctitatis suae vel mancipii et nexûs quo Dei propria est domino praestet officia; et tempore quidem sancto, septenariā ratione disposito. Primum sabbatho simplici i. e. septimi diei sanctitate 23, 3; quā agricultura ipsa s. agri colendi opus consecratur operis intermissione septimo quoque die institutā [10]). Caetera in proventuum messe et usu versantur consecrandis; quod fit tum quiete et intermissione (negative s. abstinendo), tum oblationibus et donis (praestando). Et messis quidem consecratio ~~est duplex~~, duplici oblatione peragenda: a) „postridie sabbathi“ scil. messem antecedentis, i. e. messis initio, offerendo primitiarum manipulo; b) „postridie septimi ab illo sabbathi“, h. e. elapsis septem sabbathis et septimanis, quinquagesimo ab illo die, quo scil. finita messis putanda est, offerendis duobus primitiarum panibus ex recente farina coctis. — Usus autem et fructus agri a Deo terrae domino concessus sacratur hujus intermissione, quae aut agri quiete fieri potest, aut messe pauperibus et bestiis permittenda [11]), ubi tempus sanctum inciderit; quod majoribus quidem temporis intervallis distinctum, scil. annorum sabbathis. Quae item duplex: a) septimo quoque anno, qui sabbathicus dicitur; b) elapsis septem ejusmodi annis sabbathicis s. annorum hebdomadibus, quinquagesimo anno, qui jobileus dicitur.

Quae instituta quoniam in terrae sacrae sanctitate agrorum et proventuum consecratione aptis temporis intervallis et ritibus significanda, tum dierum et septimanarum tum annorum continentur religione: his jam alia accedunt hoc capite ad septimi mensis religionem pertinentia, qui medium inter utrumque locum occupat.

---

10) Hoc enim ad agri colendi potissimum laborem primitus pertinere, ex antiquissima Sabbathi lege Ex. 23, 12 manifestum est.

11) Et hanc quidem quam secundo loco posui primitus esse vim et rationem anni sabbathici, deinceps ex lege Ex. 23, 10 seqq. docebitur. Cujus generis etiam est quod v. 22 habetur de spicilegio pauperibus relinquendo.

Primum, quod ad eandem agriculturae sacrandae rationem pertinet, festum in appendice vv. 39 seqq. exhibitum, a medio mense per septem dies umbraculis in propatulo habitandis aliisque ejusmodi ritibus magnā laetitiā (Hebr. שִׂמְחָה לִפְנֵי יְהוָה v. 40) celebratum. Quod proinde proprio vocabuli sensu חַג *festum* dictum h. e. laetum (v. quae monuimus Part. I. p. 8). Cujus quidem causa quae in fine v. 43 affertur, iterum historici s. mnemonici est generis. Ritus enim in umbraculis degendi institutus dicitur ad propagandam posteris memoriam ejus ritûs quo olim ex Aegypto reduces in „umbraculis“ degerint (sc. in deserto). Sed quominus haec pro vera aut principali certe haberi possit, obstat primum quod sub tentoriis potius Israelitae in deserto degisse putandi sunt quam umbraculis[12]), ut parum liqueat quid haec faciant ad propagandam illius itineris et commorationis memoriam, nedum fructuum frondiumque ex nobilissimis arboribus decerptorum gestatio. Deinde quomodo festum unum omnium laetissimum ad celebrandam memoriam vitae in tristissimo illo deserto actae, puniendi quidem et castigandi populi causā a Deo decretae, possit esse institutum. Vera autem causa patet ex nomine antiquissimo חג האסיף et adjectis h. l. verbis באספכם etc., ex quibus dudum intellectum est ad peractam proventuum agri invectionem gratā mente celebrandam et pie sacrandam pertinere[13]); ad gratulationum igitur genus referendum, quibus apud omnes fere populos post illatos horreis anni proventûs id beneficii tum gratibus Deo persolvendis tum laetitiae summae testificatione recoli solet[14]).

---

12) Quod tum ex re ipsa facile patet, siquidem iter facientium et Nomadum habitaculis, quae facile moveri et transportari posse necesse est, non umbracula vel tuguria frondibus et luto contexta, sed tentoria tantum et apta sunt et nunquam non usitata; tum vero ex deserti Arabici ratione, quod sane nec arborum nec fruticum copiam ad exstruenda umbracula vel tuguria, tantae praesertim multitudini, facere constat. Accedit frequentissima tentoriorum tanquam habitaculorum populi mentio, velut Ex. 16, 16. 18, 7. 33, 8 seqq. Lev. 14, 8. Num. 16, 26 seqq. 24, 5 et multa al., et constans ejusmodi vocabulorum usus quae ab his desumta esse constat, ut נסע (מסע), חנה (מחנה), נטה. Quod סֻכָּה et סְכוּת nonnunquam etiam idem sit quod אֹהֶל (scil. pro etymo suo latiore loci tecti et tuti s. latibuli sensu dictum = סתר cf. Ps. 18, 11. Jes. 4, 6), eo nihil efficitur, quia h. l. non tentoria sed umbracula frondea exigi patet.

13) Quae ratio ab illa historica tam diversa est et remota, ut minime cum illa conciliauda et miscenda mihi videatur.

14) Quò spectant ritûs festivi h. l. allati ac deinceps multis aliis ejusmodi aucti, cum sacrificiis magnificis et epulis lautissimis. Quorum similitudo maxima cum Graecorum Dionysiacis — quibus *Plutarchus* jam assimilavit *Sympos.* 4, 6, 2 — et Thesmophoriis, quorum magna pars erat in commemorandis agriculturae beneficiis ad Cererem relatis. De qua verba faciens apposite *Diodorus* V, 68: *μεγιστην γαρ ἀνθρωποις ἀγαθων αιτιαν γενομενην ἐπιφανεστατων τυχειν τιμων και θυσιων, ἐτι δ' ἑορτων και πανηγυρεων μεγαλοπρεπεστατων, οὐ παρ' Ἕλλησι μονον ἀλλὰ και παρα πασι σχεδον τοις βαρβαροις, ὁσοι της τροφης ταυτης ἐκοινωνησαν.*

Qua quidem distinguitur a primitiarum oblationibus, quarum altera solis unius diei feriis, neutra festo celebranda dicitur vv. 9 seqq. Quod quamvis discrepet a prima illa festorum lege Ex. 23, ubi primitiarum ritus v. 16 appellatur „*festum messis*“, tamen confirmatur altero etiam recensu, cui Num. 28, 20 „dies primitiarum“ audit, non festum; sine dubio accuratius illo traditum censendum. Itaque cum pro duobus quae Ex. 23, 16 habentur festis agrariis, „primitiarum“ et „collectionis“, h. l. unum tantum exstet, et „collectionis“ quidem: duo illa festa jam ea ratione inter se nexa et disposita sunt, ut primum „primitiarum“ praevio quasi inaugurandi ritu alterum praeparet, quo consummatio festi cernitur (quemadmodum fere Paschi ritum in hoc ordine azymorum festo praeparando inservire diximus). Et ita quidem ut festum h. l. jam triplici gradu distinctum et quodammodo fastigatum appareat: primum manipuli oblatione cum sacrificiis, sed die profano; deinde panum oblatione cum sacrificiis auctis, et die quidem sancto et feriato; denique festum ipsum variis ritibus festivis distinctum et per septem dies — solitum sacri temporis spatium — continuandum, et octavi solennitate tanquam clausulā consummatum. Jam vero hoc festum non agrarii tantum generis unicum h. cap. exhibetur, sed inter omnes etiam anni solennitates et ferias hoc unum et solum anni festum septendiale esse videtur. Alium enim sensum non admittunt verba quibus identidem utitur. Primum v. 39 תחגו את־חג יהוה שבעת ימים *celebrabitis festum Jhvi septem diebus*, ubi part. את vi sua (qua articulum aequiparat[15])) festum indicat per se tanquam notum, ut sui generis unicum (Germ. *das Fest* non *ein Fest*); quemadmodum etiam in caeteris libris V. T. non raro הֶחָג dictum (de quo statim). Deinde v. 41: „*et celebrabitis festum Jhvo*[16]) *septem diebus per annum* s. *quotannis* (בַּשָּׁנָה); ubi formula בשנה huic festo perinde addita ut alibi trium festorum ordini — velut Ex. 23, 14. 17. (34, 23. Deut. 16, 16. 1 Regg. 9, 25. 2 Chr. 8, 13) —, caeterisque ritibus qui singulis annis fiunt (i. q. שנה בשנה, מימים ימימה al.) — velut ritus a virginibus Gileaditicis in honorem filiae Jephtachi quaternis diebus quotannis celebratus Jud. 11, 40 (ubi ארבעת ימים בשנה similis nostrae שבעת ימים בשנה) — hoc unicum anni festum septendiale fuisse innuit; parum sane apta, si aliud etiam ejusmodi exstaret quotannis celebratum. Cujus rei in caeteris quoque V. T. libris non desunt vestigia. Primum quod hoc festum passim simpliciter dicitur הֶחָג, non adjecto nomine, ut 1 Reg. 8, 2. 65. (unde 2 Chr.

---

15) Constat enim eam nominibus non praefigi nisi articulo definitis, qui h. l. a voce חג abesse debebat propter constructionem cum יהוה; quae si abfuisset, haberetur אֶת־חָג. Articulum autem constat ea signare quae ex praecedentibus vel per se nota sumuntur, ut definitione non egeant.

16) Hebr. וחגותם אתו חג ל propr. *celebrate eum festum Jhvo.* Ubi istud אתו nihil aliud significare potest nisi diem plenilunii a quo ducebatur festum (cf. Ps. 81, 4 יום חגנו), quo primitus sine dubio continebatur.

5, 3. 7, 8. 9). 12, 32. Hez. 45, 25. Neh. 8, 14[17]). Quem usum ex magnifico festi apparatu derivare solent, quasi festum κατ' ἐξοχήν; qua tamen ratione solâ vix intelligitur quomodo hoc unum omnium festi nomine dignum videri potuerit. Accedunt alii loci ita tradentes quasi nullum praeterea exstet aut in aliquo numero sit, velut quod 1 Reg. 12, 32 seq. Jeroboamus, cum sacra Bethele instituere e Judah translata, „festum" (חג) etiam „*ad instar festi in Judah*" (כְּחַג בִּ׳) suis instituisse traditur, mutato tantum mense; et Zach. 14, 16 seqq. gentilibus ad regnum divinum convertendis magno inculcatur opere ut quotannis Jerusalem adeant ad adorandum Jhvum et celebrandum festum umbraculorum. Neque aliud sane exstat cui haec formula שִׁמְחַת לִפְנֵי יְהוָה v. 40, in antiquioribus certè libris, adhibeatur. Hinc etiam derivandum videtur quod nomen festi h. l. nullum habetur, scil. cui nullo opus esset. — Verum hoc inauditum, inquies, et non a caeteris tantum legibus sed ab hoc ipso capite absonum. Sed in tanta legum de his rebus varietate et hujus ipsius capitis discrepantia ex diversis staminibus compositi, in quibus ista praesertim appendix externā etiam specie aliena apparet, haec etiam non stupenda et a limine repellenda, sed altiore indagine digna videtur[18]). Jam cum ex tribus quae Ex. 23, 14 seqq. habentur festis alterum (a tertio quidem absorptum) intelleximus ex festorum ordine ejiciendum esse, primum tantum azymorum cum Pascho restat inquirendum an recte h. c. v. 6 ut alibi inter festa referatur. Quod si ad eam exegeris rationem quam part. I. p. 22 seqq. exposui, certe inter festa veri nominis vix habendum esse senties. Quomodo enim ritus tam gravis, expiandis et inaugurandis ad sacerdotalem dignitatem Israelitis inserviens, inter laetitiae publicae testificationes et oblectandi animi ritûs, quibus festa indulgent, referri possit; quomodo vero usus azymorum — cibi sancti sed parum delicati et fere jejuni, qui ad disciplinam potius sacram quam victum communem pertinet — unà cum fermentati prohibitione in festi deliciis haberi, istiusque disciplinae severitas cum animi relaxatione et licentia festis concessa epulisque lautis et comessationibus constare possit? Hoc sane nemo intelliget. Quare nec Paschi nec azymorum ritum pro festo habendum, nec nisi abusu quodam vel laxiore vocabuli usu — accedente praesertim rationis verae oblivione, falsā illā historicā ratione obliteratae — in festorum numero positum existimo. Quae cum ita sint, nostrum umbraculorum festum revera solum veri nominis festum esse comprobatur; quale

---

17) Cujusmodi etiam est illud Ps. 81, 4: בִּכְסֶה לְיוֹם חַגֵּנוּ „*plenilunio die festi nostri*", quod compositum cum *inflata novilunii tuba* de hoc festo dictum apparet.

18) Sed video id non tam inauditum esse quam putaram. Scriptis enim quae supra habentur, jam idem non opinatus invenio pridem contendisse *Crednerum ad Joel.* 1, 14. 2, 25. p. 150 seqq. 208 seqq.; quod cum mente excidisset, equidem in textu inter scribendum modo observatum, vix rationibus meis fidem habens, aegre admiseram.

cum hoc uno loco habeatur, hic proinde inter antiquiores festorum traditiones numerandus est. Singulare autem huic festo quod v. 41 ad indigenas tantum umbraculorum ritus pertinere dicitur, cum ad caeteros ritûs sacros servi etiam et alienigenae masculi, circumcisione facta, admitterentur, eādem cum indigenis lege usi. Quod nescio annon ex diversa festi ab illis ratione sit repetendum: siquidem illi ad sanctitatem populi exserendam et muniendam et arcendam terrae profanationem avertendamque Dei iram pertinerent, hoc ad ornandam magis vitam et excolendam populi communionem, quae ingenuorum potius interesse videri poterat[19]).

Hactenus igitur ea instituta quae tam septenariā ratione quam eodem dicendi genere et habitu continentur, a caeteris distincta, ad rem agrariam sacrandam et ejusmodi legum codicem quendam pertinere videntur. Sed aliud etiam septimi mensis institutum exstat quod eodem genere dicendi et habitu cum illis contineri intelleximus: dies expiationis v. 27 seqq. Qui cum ad agrariam certe rationem referri non possit, ad populum potius sacrandum spectans: quanam igitur ratione cum illis cohaerere putandus est? Hoc sane non statim patet. Sed quoniam terrae sanctitas derivanda est a populi sanctitate (nam hic primitus est Dei נַחֲלָה), vide an ab agrario etiam codice (s. agrariae rei sacrandae rituum ordine) abesse possit populi sacrandi ritus; quo illi potius tanquam fundamento niti videntur, ita ut sine hoc ne cogitari quidem possint. Quae enim esset terrae et proventuum consecratio a populo profano peracta h. e. communis vitae labe polluto (quali universae antiquitatis more ad ullum sacrum accedere nefas erat), nisi antea lustratus et expiatus se denuo sacraverit? Itaque hic expiandi ritus decimo mensis die institutus praevius esse apparet festo a sequente plenilunio inde celebrando, apte praecedens et severitate sua „quasi viam muniens“[20]) festo ritui totius anni laetissimo et lautissimo. Qualis autem sit dies, quaque mente colendus, conspicuum fit maxime jejunio, quod constat apud antiquos moeroris et luctûs ob peccata commissa animique irae divinae sensu perculsi fuisse ritum. Qui et expiationis et jejunii ritus publicus cum hôc uno quotannis die institutus esset (quo „semel quotannis“ pontifici maximo adytum ingredi licere, in expiationis etiam ritu exponendo cap. 16 identidem inculcatur)[21]): ad universi anni peccata pertinere intelligitur. Verum sic duplex oboritur quaestio: primum quomodo in septimo constitutus mense ad uni-

---

19) Quod si ab aliorum populorum usu recedere videtur, quibus in Dionysiacis et Saturnalibus suis feminas etiam et servos in festi societatem venisse constat: vide annon haec liberalitas a dura potius servorum apud illos conditione repetenda sit, quae Hebraeis multo erat mitior.

20) Verba *Ewaldi*, qui hunc nexum recte vidit l. c. p. 433 coll. p. 429 seq.; eādem ille quidem ratione Paschalem quoque ritum cum azymorum festo nectens, quem decimo et ipsum die primitus peractum fuisse ex Ex. 12, 3 concludit p. 431.

21) Quam ob gravitatem Judaeis *dies magnus* s. *dies κατ' ἐξ.* (יומא רבא, יומא) audit.

versum illum annum pertinere ejusque anni peccata expiare dici possit, et quare non in fine potius vel sequentis initio collocatus sit. Deinde, quoniam Paschalem ritum et ipsum expiando quodammodo et sacrando populo, et initio quidem cujusque anni, institutum esse probavimus, quaenam inter utrumque ratio intercedere statuenda sit quaeritur [22]). De qua paulo post de diverso anni initio quaerentibus dicendi locus aptior erit.

Restat septimi mensis novilunium, vv. 23 — 25, quod quamvis in ipso hujus loci dicendi genere nihil fere inveniatur quod huc trahi possit (nisi forte שִׁבְתּוֹן), tamen eodem loco habendum videtur quam caetera septimi mensis instituta. Quo admisso, tria illa septimi mensis instituta continuā serie ita sequuntur, ut alterum alteri part. אַךְ numero diei praemissa v. 27. 39 apte se adjungat, et sic egregia nascatur ordinis concinnitas. Vix tamen credas in solum septimi mensis numerique septenarii honorem a caeteris noviluniis distinctum fuisse. Certe tubarum clangorem, a quo nomen habet, non ad accinendum tantum sacrificiis Deique memoriam inclamandam (ut est Num. 10, 9. 10) inserviisse, sed ad indicendam potius publice diei solennitatem pertinuisse — quemadmodum caetera etiam noviluníia indicta esse videntur (cf. *κηρυσσειν νουμηνιαν* apud Graecos) — ex Lev. 25, 9 seqq. colligas, ubi decimo, expiationis, die tubarum sonitu annum jobileum ejusque libertatem per terram indici jubetur. Quod etsi mireris non hôc potius quam expiationis die faciendum juberi, tamen ab hoc exemplo facile discas similem illi hujus clangoris esse rationem. Jam vero anni et sabbathici et jobilei initium, illamque jobilei indictionem in ipsum anni initium incidisse deinceps demonstrabimus; quod quidem a satione et hieme antiquitus ductum fuisse diximus [23]).

Quod anni initium si isti feriarum et festorum ordini primitus suppositum fuisse statuimus, jam omnia plana et liquida fient. Sic enim novilunii istius religio et clangor non ad septimi mensis inanem honorem, sed novi anni indicendum et auspicandum pertinet initium; qua ratione etiamnum Judaeis superstes est (רֹאשׁ הַשָּׁנָה dictum). — Porro dies expiationis jam non medio anno ad expianda totius anni peccata agitur, sed quo decet tempore, post elapsum integrum annum ejusque varios et labores et errores ac lapsûs, quibus moerendis et expiandis novus annus rite inauguretur, populusque lustretur et sacretur; quò rite accedat ad celebrandam mox ritibus festis laetam proventuum anno elapso rure perceptorum memoriam gratesque Deo publice agendas. Verum hîc difficultas exoritur ex ipso illo

---

22) *Ewaldus* quidem l. c. p. 431. 433. utrumque ita discernit, ut Paschali futura potius „irae divinae pericula ab anno recenti et instante messe avertat", expiatorius noster quae „praeterlapso anno" commissa sunt expiet. Sed quomodo quae septimo mense expiantur, „praeterlapso anno" commissa dici possunt?

23) Part. I. p. 6. Cf. *Credneruм ad Joel.* 2, 25 p. 209 seqq.

loco Ex. 23, 16, quo in hac re teste usi sumus. Ibi enim „festum collectionis“ quidem „*in exitu anni*“ ponitur; idque adjectis etiam verbis confirmari videtur „*cum inferes* (באספך) *proventum tuum ex agro*“ (h. l. v. 39 repetitis), quasi inter ipsam proventuum collectionem festum celebrârint: ita ut ultimo potius anni mensi vindicandus videatur[24]). Sed hoc ne admittamus ipsâ prohibemur rei ratione: quomodo enim cogitari potest eos dum in percipiendis fructibus occupati erant jucundam rei feliciter peractae memoriam celebrâsse, quae haec omnia transacta et finita poscit, feriisque et oblectamentis indulsisse quae otium animumque requirunt a negotiis et curis vacuum? Quod caeterorum etiam populorum more confirmatur[25]). Praep. autem ב in באספך etc. nihil efficitur, quam non raro pro אחרי positam esse aliis etiam exemplis comprobatur[26]): ut verba potius reddenda sint *post coactos proventûs agri*. Quod an formulae etiam בְּצֵאת הַשָּׁנָה tribuendum sit nescio: hoc certe patet *in fine anni* h. l. nihil aliud esse posse quam finito anno. Idem confirmatur et agrariis et chronologicis veterum rationibus: quandoquidem tum populi antiqui (exceptis paucis qui solstitia sequebantur) aequinoctiis annum terminare solebant, aut vernali aut auctumnali, ut omnis controversia circa horum alterutrum versetur; tum vero Hebraeis nunquam non et mensis septimus (cui postea Tischri nomen), ab aequinoctio auctumnali ductus, et fructuum collectio cum vindemia ante illum peracta est[27]).

Quo posito quoniam qui nunc primus dicitur ʾAbhîbh, tum cum haec primum instituerentur septimus fuisse efficitur: tam Paschi et azymorum ritus septendialis quam frugum messis manipulique primitiarum oblatio et quae ab hac ducuntur septem hebdomades non in primo mense, anni introitu s. exordio,

---

24) Quod ipsum statuit *Crednerus* l. c. p. 209.

25) Cf. illud *Aristotelis ethic. Nicom.* VIII, 11: *αἱ γαρ ἀρχαιαι θυσιαι και συνοδοι φαινονται γιγνεσθαι μετα τας των καρπων συγκομιδας, οἱον ἀπαρχαι· μαλιστα γαρ ἐν τουτοις ἐσχολαζον τοις καιροις*; et quod *Macrobius Saturnal.* I, 10 Philochoro auctore tradit: „Cecropem in Attica instituisse ut patresfamilias, *et frugibus et fructibus jam coactis*, passim cum servis vescerentur, cum quibus *patientiam laboris in colendo rure toleraverant*“. Cujusmodi publice instituta habentur apud Graecos Dionysiaca et Ἄλωα apud Atheniensienses tam Cereri quam Baccho sacra h. e. et ad messem et ad vindemiam pertinentia (cf. *C. Fr. Hermanni* gottesd. Alterth. d. Gr. §. 57), apud Romanos Saturnalia et Opalia; quae omnia ab extremo auctumno inde hieme celebrabantur.

26) Velut Jes. 6, 13 בְּשַׁלֶּכֶת *post caesionem* (arboris), i. e. caesā arbore; 30, 14 בְּמַכְתֵּהוּ *post fractionem*; et passim בְּמוֹת *post mortem*, ut Lev. 11, 31. 1 Reg. 13, 31. Jes. 53, 9 (ubi cf. Rosenmüll.).

27) Cf. prae caeteris *Hieronymi* testimonium *ad Ezech.* 1, 1: „apud orientales populos post collectionem frugum et torcularia, quando decimae deferebantur in templum, October erat primus mensis et Januarius quartus“. Quod ut de Syrorum potissimum Judaeorumque posteriorum anni rationibus dictum sit, tamen agrariis universae antiquitatis rationibus consentaneum esse videtur.

sed in septimo potius i. e. anni fastigio positae intelliguntur[28]). Quorum utrumque cum septenaria contineatur ratione — illud dierum, hoc hebdomadum —, facile apparet quam hoc aptum sit mensi septimo. Neque numeri tantum apte mensi conveniunt, sed ipsa etiam ritûs utriusque ratio quadrat.

Primum enim quod Paschi et azymorum ritum attinet, hic jam apte apparet in anni fastigio, ab illo expiationis ritu qui in anni limine constitutus est fastigatus: nimirum ab universae reipublicae expiatione rudiore quodammodo et elementaria ad penitiorem et sanctiorem singulorum patrumfamilias cum familiis suis consecrationem h. e. inaugurandam sacerdotalem dignitatem, ab unius diei ritu ad septendialem. Tantum igitur abest ut alteruter abundet vel alterum tollat, ut egregiā potius societate videantur compositi: siquidem paschalis ritus illius expiatione tanquam fundamento niti, expiatorius vero paschalis complemento consummari intelligitur. Ille quidem expiationis ad tollendum reatum ex vitae communis impuritate contractum impetrandamque peccatorum remissionem institutus, in avertendo malo positus (negativus, si venia verbo), omnibus populis communis[29]): paschalis vero ad consequendum etiam bonum, sustinendam quippe sanctitatem sacerdotalem et communionem cum Deo, ergo theocraticus, soli populo Israelitico proprius. Quod discrimen sacrificii etiam discrimine significatur: expiatorius enim piaculari (חטאת) conficitur, in caeteris etiam ritibus ad tollendum reatum usitato; paschalis vero peculiari et aliâs inaudito, pacifici et eucharistici quidem generis, ut quod unum offerentibus sacri participationem communicet, sed sacerdotalis (scil. a patrefamilias sacerdotis personam sustinente oblati), sacerdotii s. communionis cum Deo insigni. Mosaicus igitur esse deprehenditur (circumcisionis socius). Unde derivandum mihi videtur quod, verā ratione obliteratā, deinceps a rerum in Aegypto gestarum memoria repetitus, anni initium ad se traheret, et mensium ordine mutato primum sibi vindicaret, scil. quo Aegypto egressi erant (a quo sine dubio posthac aeram ducebant)[30]).

---

28) Est sane quod objicias hunc numerum intercalato mense loco moveri et turbari: sed istum non proprium numerum et locum occupâsse ex nomine וְאָדָר forte sumere licet. Antiquitus autem nescio an non incertus potius dierum numerus ante septimi novilunii conspectum ad aequandum cum sole annum fuerit intercalatus.

29) Quales praesertim verni piaculares et cathartici apud Graecos Apollini et Artemidi sacri apud *C. Fr. Hermannum* l. c. §. 47. 60 al., a *Baurio*, *Ewaldo* al. non sine magna veri specie cum Pascho comparati (cf. Part. I, p. 23); quos equidem huc potius referendos esse statuo.

30) Utrum autem ab initio septem dies occupaverit, an uno contentus fuerit (quemadmodum plerisque festis usu venire accepimus), est quod dubites, siquidem unus tantum (scil. egressionis) dies memoriae mandatur azymorum ritu celebrandus Ex. 13, 3. 12, 17. 14 (ubi est וחגותם אתו חג ליהוה, quasi hic tantum festus sit); quemadmodum etiam Paschalis una nocte continetur. Certe Ex. 13, 6 cum septimo vindicetur festum, 12, 16 autem primo et septimo communicentur feriae, non certam et constantem patet de his haberi traditionem.

Deinde sacrum etiam septem hebdomadum spatium duabus primitiarum oblationibus disterminatum[31]), quod frugum messe occupatur oblationibus illis inauguratā et sacratā, septimo mensi magis convenire videtur quam primo. Quid enim est quod metendi tempus habebatur sacrum? Hoc tum ex eo derivandum videtur quod fruges per se ipsae — quippe quae panem praeberent, non hominum tantum victum praecipuum, sed oblationibus etiam (מנחה)[32]) unum aptum — inter omnes terrae proventûs Deique dona in maximo numero et vel sanctitate aliqua haberentur, tum vero ex eo maxime quod in septimum mensem, anni fastigium, messis incidebat, suo jure sacrum, cui uni omnium aptissima nec sine numine deputata videri debębat. Cui sanctitati consentanei et ritûs oblationum jam non festi et laeti, sed reverentiam tantum et religionem significantes, festo auctumnali praefantes et praeludentes (supra p. 10); et sanctum „hebdomadum" vel potius quinquagenorum dierum tempus, scil. quinquagesimi diei feriis sabbathalibus novissimo illius sabbatho tanquam clausulā additis terminatum, duplici sabbatho inclusum, septenarii et quinquagenarii annorum spatii exemplum et fundamentum (v. supra p. 7 seqq.). — Hoc autem tempus sanctum cum a „*Sabbatho*" (השבת) ducatur Lev. 23, 10 non definito et ignoto (supra p. 4), quaeritur quodnam fuerit illud sabbathum et hebdomadum initium. Quod sane difficile dictu, et conjecturā tantum tentandum. Proclive quidem est a septimi mensis initio s. novilunio ducere (h. e. a primo mensis sabbatho vel praecedentis novissimo), ne major pars temporis extra septimum cadat: sed obstat Paschalis et azymorum ritus pleniluniis incidens, qui et messem interrumperet intempestive, et recentis frumenti usu v. 14 concesso praejudicaretur (v. p. 4). Itaque nihil fere relictum esse videtur quam ut a sabbatho azymorum extremo, scil. 21. mensis die, ducatur. Quod ipse etiam hujus recensûs auctor statuisse videtur cum hunc locum statim post azymorum locum insereret, fortasse sui temporis usum sequens. Quo sumto, azymorum ritus septendialis s. hebdomas sancta — a plenilunio, ut septimi mensis fastigio, potius quam a novilunio ducenda — apte praecederet et quodammodo auspicaret sanctum septem hebdomadum spatium; hominum sacrandorum ritus messem sacrandam; quemadmodum fere finito anno populi expiandi ritus festum finitae proventuum collectionis.

---

31) Cf. Num. 28, 26, ubi cum hoc temporis spatium dicitur „*in hebdomadibus vestris*" (בשבעתיכם), sacrae observationis esse innuitur. Unde nomen festi in posterioribus legibus ortum „*festum hebdomadum*" Ex. 34, 22. Deut. 16, 10.

32) Quemadmodum caeteris etiam antiquitatis populis institutum videmus, ut Graecis et Romanis, quibus festa frugum messem celebrantia (Demetri s. Cereri sacra) ritu graviora et sanctiora fuisse constat Dionysiacis, et ab his ita fere distincta, ut haec magis ad oblectandum fruendis bonis genium pertinerent, illa ad recolendam piam beneficiorum memoriam, praesertim quae universo agri colendi instituto accepta referebant (Thesmophoria); qua quidem mysteris etiam continebantur.

Idem suadet alius etiam ritus Paschali affinis, quem adhuc intactum reliqui, huic loco reservatum. Constat enim a primogenitorum caede Aegyptiaca et Israeliticorum immunitate non solum Paschalem ritum, sed primogenitorum etiam apud Israelitas masculorum, tam hominum quam jumentorum, sanctitatem[33]) derivari Exod. 13, 1. 2. 11 seqq. coll. Num. 3, 11 seqq.; et ita quidem ut qui sacrificiis idonei sint (צאן et בקר) offerantur[34]), caeteri pretio redimantur[35]). Jam hominum primogenitorum sanctitate nititur jus horum sacerdotale, quod patresfamilias communi antiquitatis more in sua quemque familia antiquitus exercuisse constat[36]), in ritu Paschali servatum (lege certe, nam usu postea Levitis arrogatum videmus). Eadem vero dignitas, quamvis latiore sensu, pro populi sacri notione universis Israelitarum maribus competebat, circumcisione signata (jure quidem Mosaico et theocratico, h. e. praerogativo, speciali gratia a Deo isti populo prae caeteris collato); ad quam annuo consecrationis ritu quotannis renovandam, continuandamque sacram cum Deo communionem sacrum Paschale intelleximus esse institutum. Ex quibus intelligitur non temere prorsus nec sine veri quodam sensu ll. cc. primogenitorum sanctitatem ex eodem fonte derivatam esse cum Paschali et azymorum sacro: quod ad utramque sane quodammodo pertinere videtur consecrationem, et primogenitorum et circumcisorum. Et horum quidem consecratio quomodo ritu Paschali perficiatur, jam dictum est Part. I p. 23 seqq. De primogenitorum autem ritu cum nihil traditum exstet, nihil certi statui potest: hoc tamen ex locis illis colligas, praeter Paschalem ritum idem tempus primogenitis etiam tam hominum quam jumentorum Deo offerendis et consecrandis sacrum fuisse. In quibus homines quidem sine dubio elevationis ritu (תנופה, qualis in Levitis consecrandis cernitur) offerebantur, jumenta autem sacrificio[37]). Isque ritus vel antiquior Paschali et Mosaico ordine prior habendus videtur,

---

33) Quam in antiquissimo codice Exod. 21—23, ubi supra Part. I, p. 11 not. 20 temere desiderabam, jam video haberi c. 22, 28. 29.

34) Jumentorum autem primogeniti non ante octavum diem offerendo idonei erant, per septem dies matri relinquendi Ex. 22, 29 (quod caeteris etiam sponte oblatis sancitum Lev. 22, 27). Eodem die homines circumcisione sacrandi Gen. 17, 12. Ut ab hoc inde die utrique sacri putandi sint.

35) Deinceps Num. 3, 11 seqq. substitutis Levitis horumque jumentis, his quoque redemti fuisse traduntur, exceptis illis quibus illorum numerus non sufficeret, 5 siclorum pretio redimendis.

36) Nam quod in Levitas translatum traditur Num. 3, ad publicum tantum ministerium, i. e. populi universi nomine in sacrario peragendum (λειτουργιαν), pertinuisse putandum est; quemadadmodum fere in Christianorum coetu idem singulorum jus eodem nomine et eadem necessitate in publicos ministros translatum fuisse constat. Sed utrisque idem accidit, ut prohibitis deinceps sacris privatis, jus singulorum privatum ministerii publici jure antiquaretur.

37) Primogenitorum tam hominum quam animalium oblationem cum Paschali ritu conjungendam esse *Baurius* etiam l. c. p. 48 seqq. intellexit, qui multus est in comparandis caeterae antiquitatis

quippe caeteris etiam populis usitatus; deinceps ab illo theocratico obliteratus. — Quae cum ita sint, institutum patet tam ad personas quam res sacras pertinuisse Deo consecrandas, nimirum et sacerdotes et sacrificia (sc. jumenta sacrificiis apta). Quibus jam accedunt frugum, quas alteri sacrificiorum generi, Minchae s. fertis, proprias esse constat, primitiae, et ipsae more universae antiquitatis Deo sacrae, circa idem tempus duplici forma Deo offerendae: quarum oblationum prima, cujus tempus ignoratur, proinde a primogenitorum oblatione ducenda esse videtur. — Haec igitur ut paucis complectar: septimus mensis consecratione et populi et terrae (agri), pro diversis utriusque membris et proventibus, praesertim primogenitis et primitiis, distinctus fuisse deprehenditur; primitiarum autem, pro duplici frugum genere et dissito metendi tempore duplici oblatione peragenda, exactis septem septimanis, quinquagesimo a prima die consummata. Ad quarum normam septimo quoque anno non primitiae tantum sed universus anni proventus offerendus; septies autem septenis annis elapsis quinquagesimo praeterea praedia etiam aliena et mancipia gratis restituenda scil. domino terrae et populi reddenda (cf. Lev. 25, 23. 43), qui non dominium perpetuum, sed usum tantum et fructum quasi locat quinquagesimo quoque anno renovandum (quae quasi aera rei agrariae instituta videtur).

2. *Num.* capp. 28 et 29.

Alius dierum sacrorum recensus habetur Num. 28 et 29, ad definienda quidem sacrificia unoquoque offerenda[38]), Lev. 23 omissa, institutus; eundem quidem anni sacri ordinem secutus, sed paulo plenior illo: nam quotidiana etiam sacrificia s. jugia et in noviluniis offerenda complectitur; e quibus illorum sane nullus in recensu feriarum et festorum est locus, novilunia autem immerito ab illo qui est Lev. 23 abesse, et casu forte tantum excidisse putanda, ut quorum religio sit antiquissima et universae antiquitati frequentata. — Feriarum autem et festorum dierum necessitudo eadem fere deprehenditur quae Lev. 23, ut hôc velut fundamento niti videatur.

---

ritibus qui aliquam similitudinem habere videbantur: verum is, pro ratione sua a sacrificiis et ritibus veterum vitam novam ex morte redimentibus desumta, sacrificium Paschale ipsum primogenitorum ejus anni exemplum et vicem sustinere statuit, quod ab hoc alienissimum.

38) Quae ratio in ipsa statim capitis fronte exprimitur his verbis: „*oblationem meam, cibum meum, tanquam incensa mihi suaveolentia observate, offerendo mihi stato suo tempore* (לְאִשַּׁי cum ל explan. appositionis loco praecedenti voci subjunctum, ut לחמי לאשי sit pro לחמי אשי vel לֶחֶם אִשַּׁי cf. Lev. 3, 11. 21, 6; et אשי ריחי נ׳ pro לרי נ׳ ut Lev. 3, 16). Ubi illud *stato suo tempore* (במועדו) identidem recurrens (ut 9, 8. 13. Lev. 23, 4) innuit quid potissimum spectent ista calendaria, et quid intersit scire tempora feriis et festis definita: nimirum ut quae Deo debentur justo etiam tempore praestentur, h. e. quo ipse velit sibique accepta esse significaverit. Idem caeteris populis religioni est, cf. de Graecis *C. Fr. Hermannum* l. c. §. 44, 3.

Prima quidem Paschi et azymorum sacra v. 16 seq. eodem modo ita consociata et disposita ut illud primi mensis 14tum, hoc (cujus tamen nomen abest[39]) 15tum occupet. Sequitur v. 26 „*dies primitiarum, ubi offeretis recens fertum Jhvo in septimanis vestris.*“ Quod et ordine et ipsä etiam re quodammodo loco Lev. 23, 9 seqq. consentaneum apparet: tum primitiarum nomine בכורים et מנחה חדשה, tum offerendi tempore *in septimanis vestris* (בשבעתיכם i. e. post septimanas sc. septem, si modo בְּ eodem sensu accipiendum ut in locis supra citatis), et quod dies feriatus est, non festus ut Ex. 23, 16. Qui locus cum in illo recensu a caeteris discrepet aliunde translatus, noster haec eodem ordine exhibens ex illo desumsisse videri potest. Sed hoc ne statuas, obstat primum quod prioris oblationis nulla sit mentio facta, deinde quod sacrificia huic alteri „Minchae recentis“ oblationi addita h. l. plane ab illis sint diversa. Quare hoc etiam dubium relinquitur, utrum formulä בשבעתיכם idem oblationis dies significetur (scil. post elapsas septem septimanas, quinquagesimus), an alius ex illo temporis spatio. — Inter septimi mensis ferias novilunium quidem 29, 1 nomine appellatur יום תרועה, eodem quem ritus suppeditat Lev. 23, 24 memoratus. Sequens decimo expiationis dies v. 7 seqq. non directe quidem nominatur, sed sacrificio ejus diei peculiari השאת הכפרים commemorato v. 11 oblique innuitur. Denique v. 12 seqq. festum (tabernaculorum) a decimo quinto per septem dies celebrandum, addito octavo, perinde עצרת dicto v. 35 ut Lev. 23, 36 (quod h. l. pro מקרא קדש, illic apposito), nomine prorsus caret, ut primum illud azymorum: nihil nisi וחגותם חג ליהוה, quemadmodum fere in appendice Lev. 23 v. 39. 41.

Sacrificia autem offerenda quod attinet, ex holocaustis varii generis cum appendice sua et piaculari constantia: hoc quidem a jugi et sabbathali abest, majoribus tantum feriis et festis additum, uno constanter hirco confectum; illa vero singulis pro cujusque dignitate accommodata ratione satis aequabili definita sunt. Et ita quidem ut, cum jugia singulis agnis, sabbathalia binis contenta essent, novilunia caeteraque festa pariter ex triplici hostiarum genere binos juvencos, singulos arietes, septenos agnos requirerent; exceptis tamen septimi mensis diebus sacris, quorum et novilunium et expiatorius dies singulos juvencos pro binis obtinuerunt, festum autem (tabernaculorum) multiplicatum hostiarum numerum sibi vindicat: primus quidem dies tredecim juvencos, duos arietes, quatuordecim agnos, sequentes tamen juvencorum numerum paulatim diminuunt ad septem, octavus denique ad unum juvencum et arietem, septem agnos (totidem quot dies novilunii et expiatorius). Quae his adduntur ferta et libamina item certa ratione definita sunt,

---

39) Nihil enim habetur nisi *et 15mo hujus mensis festum* (וְחַג) i. e. festus ritus, quo scil. distinctus dies a Pasche praecedente. Idem ubi de altero festo agitur obvium. Nomen sane ex ritu per se liquet.

suis quodque hostiis pro harum magnitudine accommodata, ex lege singulari quae exstat *Num.* 15, 1—16.

In quo sacrificiorum festorum ordine hoc tamen mirum videri debet quod solis holocaustis et piacularibus conficiuntur, pacificis (שלמים) plane posthabitis: quod non a lege solum singulari de primitiarum oblatione Lev. 23, 18—20 — quam antiquiorem esse cognovimus —, sed festorum etiam indole, quibus ea apprime consentanea esse patet, ipsoque abhorret Hebraeorum usu[40]), et universae antiquitatis exemplo. A quo piaculare potius alienum deprehenditur, nunquam in publicis solennibus commemoratum[41]), si postremos V. T. libros excipias, nimirum Ezrae, Nehemiae, Chronicorum (Hezeqielis etiam visiones), quibus omnia ex „legis" praescriptis procedunt. Quod quomodo cum fide nostrae legis conciliandum sit, equidem fateor me nescire.

II. Lex de tribus anni festis in Deuteronomio.

Cap. 16, 1—17.

Restat considerandus festorum conspectus quem Deuteronomium exhibet cap. 16. Hic tribus illis festis contentus est quae in antiquissima de his lege exhibentur

---

40) Antiquissimis quidem Patriarcharum temporibus sola holocausta memorata, nobilissimum et antiquissimum sacrificiorum genus, quod constat utrumque continere: et expiandi et gratiae divinae s. communionis cum Deo colendae ritum; quae deinceps proprios tum expiandi (חטאת) tum gratiae colendae ritûs (שלמים) sibi vindicârunt. Sed ne tum quidem hoc gratiae vel pacis divinae sacrificium (שלמים) plane abfuisse videtur; quod certe Gen. 31, 54 sacrificio et convivio ad celebrandum foedus Jacobi cum Labano instituto inesse putandum, ipsa voce זבח זֶבַח (quae propria huic generi) significatum; item Gen. 46, 1. — Sequentibus vero temporibus nunquam non in solennibus omnis generis laetis et festis commemorantur, sive sola sive holocaustis subjuncta: velut in festo Deo ad montem sacrum celebrando Ex. 3, 12. 5, 2 seqq. coll. 10, 25; ad gratias pro salute Aeg. agendas Ex. 18, 12; ad inaugurandum foedus cum Deo Ex. 24, 5 coll. v. 11 (ויאכלו וישתו); novum Dei simulacrum 32, 6; sacerdotium Ex. 29, 19 seqq.; lapides sacros erigendos Deut. 27, 6 seqq. Jos. 8, 31; regnum 2. Sam. 11, 15 seqq.; bellum 1. Sam. 10, 8. 13, 9; arcam sacram in Zionem translatam 2. Sam. 6, 17; aream sacrario novo dicatam 2. Sam. 24, 25; templum novum 1. R. 8, 64; aram novam 2. R. 16, 12. Porro ad celebrandam victoriam 1. Sam. 11, 15 seqq.; solennia anniversaria gentilitia 1. Sam. 16, 2 seqq. 20, 6. 29 (quò forte etiam referendum Elcanae 1. Sam. 1, 3 seqq. 2, 19). Quid quod ipsa haec tria festa quotannis holocaustis et pacificis a Salomone celebrata diserte traduntur 2. R. 9, 25.

41) Omnia enim piacularia, tam חטאת quam אשם, in privato fere tantum usu fuisse videntur; nusquam fere obvia nisi 2. Regg. 12, 17. Hos. 4, 8, ubi inter praecipua sacerdotum emolumenta afferuntur.

Ex. 23, 14 seqq., omissis caeteris feriis et solennibus quae recensentur Lev. 23: ita tamen ut quae illa suppeditaret (vel potius *Exod.* 34, 18 seqq. quam secutus est) ex caeteris — *Ex.* cap. 12 et 13. *Lev.* 23 — augeret; multa autem tum truncaret, tum disjiceret et confunderet, tum vero interpolaret et mutaret: ita ut a prioribus illis non parum differat. Temporum ratio fere neglecta.

1. Primum festum, quamvis v. 3 cum azymorum esu conjunctum v. 1, Paschi tantum nomine appellatum; causā tamen ex Ex. 12, 17. 13, 3. 34, 18 allatā ab azymorum feste desumta, scil. quia eo mense Deus eos eduxerit ex Aegypto. Quod noctu factum dicit v. 1, confuso ritûs Paschalis cum profectionis tempore, quam constat postridie illius (ממחרת הפסח) factam esse; v. 6 autem mactandum „vesperā, occidente sole" praecipiens, hoc dicit esse „tempus egressionis ex Aegypto"! Tempus ritûs mense tantum (*'Abhîbh*) definitum, ut Ex. 34, 18, neglecto die alibi addito. Pascho subjuncta v. 3. azyma per septem dies comedenda, sed apposito his עָלָיו (i. e. על הפסח), quasi azyma totidem diebus una cum Pascho comederint! — Ipsum autem ritum quod attinet, haec mutata deprehenduntur quae prioribus aperte repugnant:

1) Hostia v. 2 non צאן tantum sed בקר etiam, quod inauditum et a ratione sacri domestica, qualis Ex. 12 traditur, abhorrens, nec usu etiam receptum;

2) eaque non assanda sed coquenda (בשל) v. 7, quod Ex. 12, 9 diserte interdictum.

3) Sacrum eo loco faciendum quem Ihvh sibi elegerit nominis sui sedem v. 2., quod identidem pro hujus more inculcatur vv. 5—7: non in alio ullo loco quam illo quem Ihvh sibi elegerit id fieri posse; ubi tamen postquam comederint, mane licere ad domos suas redire. Quod veteris legis instituto adversatur, quo cum domus quaeque sacrificii sanguine aspergenda esset Ex. 12, 7, hoc domi faciendum intelligitur. Idque maximi quidem momenti. Nihil aliud enim agitur quam ut sacrum ex singulorum domibus ad sacrarium totius terrae commune (Jerusalemiticum) transferatur, ut jam non ad suae quemque domûs patremfamilias, sed ad Levitas pertineat. Scilicet hoc noster (praeeunte quidem *Lev.* cap. 17, 1—9, ubi capite sancitum ne sacrificia alio loco fiant nisi ad sacrarium) summo studio persequitur usque inculcatum, ut sacris privatis funditus exstirpatis omnia publice ad sacrarium et Levitarum quidem ministerio fierent[42]). Sic vero sacri indoles et

42) Idem constat ab historicorum etiam librorum auctoribus (praesertim libri regum) nec non prophetis inculcari, ac tandem impetratum fuisse, si non a Josiae tempore, certe ab exilio; ut in caeteris, ita in hoc paschali etiam sacro, Ezr. 6, 19 seqq. a Levitis lustratis mactato. Quod Chronicorum auctor hinc desumtum ad multo priora tempora transtulit, non Josiam tantum II, 35 (a quo 2. Regg. 23, 21—23 id sacrum primum celebratum traditur ex legis praescripto), sed vel Hizkiam II, 30, cui similia affinxit.

vis penitus perdita intelligitur. Primum enim, domo sanguine asperso non sacratā, quomodo sacrum in loco sancto comedi, sacramque comedentium communionem significare et ad consecrandam familiam pertinere poterat? Deinde, concione mane domum dimissa (quo sane praescriptum Ex. 12, 20 „*ut in omnibus sedibus suis azyma comedant*“ verbo et litera tenus salvum manebat), quomodo azymorum festum et communio sacra, qua Paschalis continuanda erat, poterat servari?

4) Azyma לֶחֶם עֹנִי *panis afflictionis* s. *exilii*[43]) dicta, „*quia in festinatione* (בחפזון ex Ex. 12, 11) *exiisti ex Aegypto, ut recorderis diem exitûs tui ex Aegypto per omnes vitae tuae dies*“ v. 3. Quod multis in interpretanda azymorum vi et ratione fraudi fuit: sed manifesto ex sola illa ratione ritûs mnemonica in Exodo obvia, et vescentium praesertim statu suspenso quem innuit vox בחפזון adjecta, proprio Marte derivatum.

5) Azyma cum v. 3 fontium fide septem diebus comedenda dixerat, v. 8 sex diebus comedenda dicit, addens: *septimo autem concio sacra* (עצרת ליהוה), *nec opus faciendum*“; quod quo jure distinxerit, per se intelligitur. Neque vocem עצרת septimi concioni, quamvis sensus non abludat, certa ratione adhibuisse, sed temere ex tertii festi concione postrema Lev. 23, 36. Num. 29, 35 huc transtulisse videtur.

2. Alterum v. 10 *festum hebdomadum* vocatum, quod desumtum ex *Exod.* 34, 22; septem autem hebdomades ad hoc usque numeratae ex *Lev.* 23, 15: neque tamen ab eodem illo initio, „postridie sabbathi“, sed „*ex quo coeperint falcem immittere segeti*“; quod tempus cum ipsā re suppeditatum appareat, solā conjecturā noster assecutus in illius locum (quod jam tum non liquebat) surrogasse videtur. Quod autem addit vv. 10—12 praeceptum, ut populus pro suae quisque liberalitatis et facultatis modo ad id festum celebrandum largiatur, et „*coram Jhvo laetetur unà cum liberis, servis, Levitis, advenis, orbis et viduis*, et *in eo quidem loco quem Jhvh nominis sui sedem elegerit, recordatus quod servus fuerit in Aegypto*“: hoc apprime quidem hujus auctoris rationi consentaneum, qua solet debita et officia sacra quaecunque ad pie sustentandos et recreandos Levitas caeterosque indigentiores revocare, sed ab ea certe hujus ritûs ratione quae Lev. 23, 15 seqq. traditur alienum: quippe qui unius diei, feriati quidem sed non festi, contineatur oblatione.

3. Tertium *festum tabernaculorum*, nomine ex *Lev.* 23, 34, verbis (תעשה לך, באספך, שמחת) tum ex *Exod.* 34, 22 tum ex *Lev.* 23, 39 seq. (appendice) desumtum;

---

43) Vocabulum עֳנִי enim pr. de Aegyptiaci exilii statu et servitute solenne fuisse videtur (cf. Aegypti appellationem ארץ עני Gen. 41, 52. Ex. 3, 7. 17. 4, 31); unde in proverbium versum ad similes statûs translatum Gen. 16, 11. 31, 42.

additis pro more quae ad asciscendos convivas et locum festi pertinent; omisso tamen octavo celebritatis die.

Denique clausula de triplici omnis masculi coram Jhvo apparitione ex *Exod.* 34, 23, addita singulorum festorum enumeratione (ubi tandem venit illud חג המצות v. 1 desideratum).

Horum si reputaveris rationem módo expositam (qualis fere universo Deuteronomio intercedit cum prioribus libris), facile intelliges quam parum apta sint ad investigandam festorum rationem, nedum ad aestimanda et corrigenda ea quae priores libri tradunt, et quantae fraudi fuerint criticis nostris, qui tantum non omnes his incaute usi sunt; unde non parum confusionis ortum video. Itaque ego nullam omnino hujus rationem habendam esse existimo.

His hactenus disputatis, primum quidem hoc patebit quam varia et inconstans festorum in Pentateuchi legibus sit ratio, quamque incerta ac fere nulla sit eorum fides et auctoritas quae de horum origine et ratione traduntur, quae in antiquissimis etiam penitus obliterata deprehenditur. Quemadmodum apud caeteros etiam populos ejusmodi ritibus, a summa inde antiquitate repetendis, falsae causae et origines praetendi solent; quod Hebraeis quidem multo etiam magis accidisse videmus, quod tum auctores legum quas scriptas habemus in his, ut in multis aliis, magis rationem suam s. notionem quandam animo informatam secuti fuisse videntur quam usum, tum vero haec sacra, quae pacatum et florentem reip. statum requirunt, hoc turbato ipsius V. T. fide mox prae caeteris turbata et exoleta deprehenduntur. Deinde vero, non tam abditam et impeditam esse cujusque rationem quin ex rituum natura et analogia investigari possit; quod equidem spero non sine fructu a me tentatum. Denique, difficillimum autem omnium esse orbem et ordinem feriarum et festorum quem leges exhibent ad certam redigere rationem; idque ea potissimum de causa quod isti quos habemus ex diversis conflati esse intelliguntur: quippe decursu temporis identidem refictis, ac mutatae praesertim anni computationi accommodatis. De quo quid sentiam et augurer potius quam statuam, indicavi; conspectum etiam additurus nisi temporis urgentis angustiis exclusus essem.

ADDENDA.

Ad Particulam I.

Pag. 4. not. 12. Quod Ex. 23, 18 „*adeps festi*“ dicitur pro hostiae carne, hoc ex antiquiore forte sacrorum usu repetendum, quo adeps non Deo sacrandus erat sed unà cum carne comedebatur, quemadmodum in Paschali ritu traditum observatur (quò retulit auctor legis Ex. 34, 25). *Adeps* (חֵלֶב) autem caro h. l. vocata, sive ut optimum carnis (ut aliis etiam tritum) et hostiae laus, sive prae caeteris morae impatiens et a profano die abhorrens.

P. 12 not. 21 Dies Hebraeis ut multis aliis a vespera quidem initium ducebat, ut qua lunae phases appareant, quibus tempus metiebantur, sed hoc in sacris tantum observatum videtur (velut impuritas „ad vesperam“ putata i. e. ad occasum solis cf. Lev. 22, 6. 7): in numerandis tamen mensis diebus (ut in feriarum calendariis) et vulgari usu dies potius (i. e. solis lux) spectatus. Et sacris etiam sancto die peragendis (ut carnibus sacr. vescendis) exoriens mane crastinum (בקר) profanus dies est, cf. Ex. 16, 19. 23 seqq.; item ממחרת.

P. 24 lin. 5. Sacrificiorum genus quod Hebr. שְׁלָמִים dicitur (plurale tantum, excepto loco Am. 5, 22 ubi שְׁלָם), Lat. *pacificum* transtuli, usu post Vulg. plerisque recepto, et ad verum sensum propius accedente quam quod aliis frequentatur *salutare* (Gr. σωτηρια apud LXX). Utrumque autem rectius quam quod recentiores plerique praetulerunt *eucharisticum* h. e. ad gratias agendas oblatum, a שָׁלַם rependere, retribuere derivantes, scil. quo homo Deo debita reddat s. persolvat, vel certe quod deficit compenset et compleat; quod *Baehrius Symbol.* II, 369 seqq. duce *Relando antt. sacr.* III, 5, 1 ex usu praes. quo vota et grates atque ejus generis sacrificia persolvi (שִׁלֵּם) dicuntur (quasi ἀποδοτικα cf. ἀποδουναι χαριν et εὐχας, obs. Relando) multis demonstrat. Verum hoc verbum votivis tantum et eucharisticis (תודה) adhibetur, a voluntariis (נדבה) plane alienum. A quo si repetendum esset, sane שְׁלֻמִים dicendum fuisset. Imo derivandum patet a Kal שָׁלֵם, integrum esse (h. e. tum incolumem, tum perfectum esse); pr. de externa integritate (i. e. salute et perfectione) dictum, deinde ad internam translatum: a) animi = sinceritas i. q. תמם; b) animorum, scil. foederis vel religionis vinculo junctorum et quasi unitorum, quod hoc verbo salvum et illaesum significatur (opp. rupto dissidiis); tum negative: qua nihil ab altero timendum est = pax (שָׁלוֹם quae Hebr. fere negat.); tum posita re ipsa: consensus, concordia, amicitia, gratia etc., tam cum hominibus quam cum Deo. Quae cum ita sint, שלמים apte dicitur id sacrificiorum genus quae et in statu pacis et gratiae s. communionis cum Deo illaesae et ad hanc colendam et testificandam offeruntur, amicitiae et foederis signa et pignora et quodammodo tesserae: scil. opp. piacularibus, quae rupto foedere ad sanandam pacem et conciliandam gratiam pertinent. Quod hominum nemo purus et a labe immunis est, hoc sane apud antiquos illis non obstabat, siquidem nemini nisi purgato et lustrato a communis vitae immunditie accedere fas erat.

P. ead. l. 4 ab extr. Aries sane non idem putandus cum agno masc. anniculo, quippe semper uno anno major.

Ad Particulam II.

Pag. 7. Festum appendicis ad Lev. 23 eo etiam differt a praecedentium ratione quod sacrificiorum offerendorum nulla fit mentio.

EMENDANDA.

Part. I. p. 6 not. 15 Joel. 2, 25 ponendum pro 12, 25; p. 8 l. 18 זבח pro ובח; p. 12 l. 22 h. e. pro h. l.; p. 17 not. 32 l. 3 ab extr. Ex. 35, 2 pro 35, 12 (ubi tamen קדש transpositum cernitur); p. 24 not. 42 l. 1 Ex. 29, 39 pro 26, 39; p. 26 not. 46 l. 5 ab extr. עֲנִי pro אֲנִי.

3 2044 073 554 62

DEMCO
PAMPHLET BINDER
Gray Pressboard